BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
19 C
26

29

M

13-20.2.

Digitized by Google

DE CANONIBUS
VULGO
APOSTOLICIS
AD EDITAS JAM VENDICIAS
SS.M CYPRIANI AC FIRMILIANI·
ET
DE PAPÆ JUDICIO
COMPARATE
AD CONCILIUM
Pro vendicando S. Auguſtino a tergiverſationibus nuperrimi Defenſoris Declarationis Gallicanæ

DISSERTATIO
DUABUS EPISTOLIS COMPREHENSA,

ALTERA CRITICA

R. P. CONSTANTINI ROTIGNI
Monachi Caſſinenſis in Ravennati Monaſterio
S. Vitalis Sac. Canonum Interpretis.

ALTERA APOLOGETICA

R. P. RAYMUNDI MISSORII
Minoritæ pro Ser.ma Venetorum Rep.
Reviſoris Publici.

VENETIIS CIƆIƆCCXXXIV.
Apud FRANCISCUM PITTERIUM Bibliopolam ad Signum
Fortunæ Triumphantis.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO SAPIENTI,

EMUNCTÆQUE NARIS CRITICO

PATRI RAYMUNDO MISSORIO

CONSTANTINUS ROTIGNIUS

Monachus Caſſinenſis

S. P. D.

MIraberis, Vir doctiſſime, & merito ſane miraberis, quod ego de Libro Tuo, quem aliquot abhinc menſibus publici juris feciſti, judicium nunc ferre, deque eo ad Te ſcribere non verear, qui nullo hactenus Tecum officii genere coniunctus, Tibi ne de nomine quidem innotui. Qui enim in tui notitiam venire potui, homo tardioris ingenii, doctrinæque prope nullius, nulla omnino re clarus? At mirari profecto deſines, ſi id tribuas, ut certe tribuas velim, humanitati, veræque Sapientiæ tuæ, qua fit, ut cum Tu, & facultate latinæ orationis, & eruditionis copioſo delectu, judiciique acumine plurimum valeas, nihilo tamen minus de Te ipſo ſentias quam demiſſe. Quod ego animadvertens in hac ipſa Lucubratione tua, & præcipuo iſtud loco inter laudes tuas ponendum exiſtimo, atque inde, ut ad Te has qualeſcumque litteras fidenter darem, liberum mihi eſſe intelligo. Confidentiorem denique id etiam facit, quod non reprehendendi ſtudio

incitatus (a quo longe abſum, exiguitatis meæ bene conſcius) ſed ductus voluntate diſcendi, eripſi mihi per Te ipſum velim ex animo ſcrupulum quemdam, qui adhuc impedit, quo minus manibus,pedibuſque in tuam ſententiam ipſe deſcendam. Accipe igitur, quod res eſt, atque æqui, bonique fac, ut Te decet ornatiſſime Pater, ſcribentis licentiam. Jam diu erat, ex quo de laudatiſſimo Opere tuo, quo perennem (haud ego fallor) nomini tuo celebritatem peperiſti, acceperam per litteraria, ut aiunt, folia, quæ iſthinc Albritius per hebdomadas ad Nos mittit, cum tandem ſub Auguſti finem huc allatum, mihi commodatum eſt ad legendum. Quamvis autem ad lectionem illius, animum (quod ingenue fateor) valde præiudicatum attulerim; nec enim michi imperare poteram, ut ea de re dubitarem, de qua ne ab iis quidem eximiis Viris dubitatum noveram, quorum maxime intererat; nihilo tamen ſecius ratiocinationes tuæ, atque obſervationes me non modo ad adſentiendum moverunt, ſed valide etiam permoverunt adeo, ut, ſi obiectas difficultatum nubeculas omnes ea claritate, ac vi diſſipaſſes, qua ad oculum demonſtraſti rem Tibi ad probandum propoſitam, vix quicquam putem in Tuo Libro ab ullo Critico, niſi multum moroſus ſit, poſſe præterea deſiderari. Nam quod ſingularum vim attinet coniecturarum, nec vacat quærere, nec libet; nec minutiora quædam moror, quæ fortaſſe non omnibus probabuntur, cum ex hiſce ſumma rei minime

me pendeat. Verbo, Tecum jam propemodum ſentio, quoad. νοθείαν Epiſtolarum, quæ hactenus Sanctiſſimis Firmiliano, ac Cypriano vulgo tributæ ſunt, Tibique multum debere cenſeor univerſos Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudioſos, ipſoſque Theologos, quod Tu unico veluti ictu plurimarum caput ſuccideris difficultatum, quibus eos tollendis diu multumque adlaborare oportebat. Sed negotium faceſſunt, cum nonnulla ex iis, quibus enodandis manum adhibuiſti, tum aliud potiſſimum, quod neſcio qua de cauſa ne attigiſti quidem; quodque mihi idcirco in oculos incurrit ſtatim, quod cum ea diſciplina coniunctum ſit, quam ego junioribus hic Monachis ex officio trado. Cathedram ſcilicet teneo, ex qua antiqui, ac recentiores Eccleſiæ Canones Diſcipulis apud Nos præleguntur. Itaque qualecumque iſtud ſit, jam liceat tandem in medium afferre.

Habemus in Canonibus vulgo Apoſtolorum, ut Tu optime noris, Vir multæ, accuratæque Lectionis, Canones XLV. & XLVI. quibus generatim baptiſmus Hæreticorum exploditur. Hactenus autem exiſtimavi, facem mihi præferentibus nominatioribus Criticis, eam Canonum Collectionem vel ſub finem III. ſæculi, vel ſub initium IV. fuiſſe utcumque adornatam; etenim Dallæum, eiuſque Hyperaſpiſtem miſſos facio, quos ad medietatem uſque V. ſæculi collectionis ejus initium trahentes, Beveregius ipſe multis, iiſq. non contemnendis argumentis, ut Docti judicant, confutavit. Exiſtimavi etiam cum Eruditiſſimis

iiſdem Viris,per eos Canones exhiberi nobis formam,partim Diſciplinæ illius,quæ per univerſam Eccleſiam quaqua verſum diffuſam per ea tempora vigebat, partim illius, quæ in aliquibus tantum Provinciis locum habuit aliquando, ut vulgo creditum eſt de reprobato baptiſmo, quem Hæretici contuliſſent. Plura ad hanc rem non addam, nam & Docto loquor, & epiſtolaris brevitas reliqua jubet omitti. Edoceri itaque velim, qui fieri potuerit,ut iſti Canones extarent, ſi nuſquam fuit ante tempora Donatiſtarum (quæ Tua opinio eſſe videtur) de Hæreticorum baptiſmate inter Catholicos ulla contentio. Nam quominus hi Canones, quibus de agimus, tribuantur Synodis ſive Iconienſi, ſive Synnadenſi, ſi quæ factæ ſunt Marcioniſtarum cauſa longe ante Epiſcopatum Firmiliani, vetat primo generalis illa Baptiſmi hæreticorum reprobatio, vetantque deinde rationes, quæ in ſupradictis Canonibus afferuntur. Quid ergo dicemus? An & hos Canones ab aliquo Impoſtore Donatiſta fuiſſe confictos? ſed quid, ſi liquere non poſſit, hujuſmodi Collectionem, Donatiſtarum ſchiſmate poſteriorem eſſe? Video quid reſponderi præterea poſſit, extaſſe ſcilicet fortaſſe (ſi idipſum dare velis) ſub initium IV. ſæculi Collectionem aliquam Canonum, ſed non inde conſequens eſſe, ſupradictos duos Canones per ea tempora in ipſa Collectione fuiſſe contentos, propterea quod ſubinde ea Collectio nova ſemper incrementa ſuſceperit. Et re quidem vera nihil certi de numero Canonum

Apo-

Apoſtolicorum apud vetuſtiores invenimus. At, niſi hæc reſponſio Tuo Calculo confirmetur, tuiſque illuſtretur animadverſionibus, vereor, ne ſit ex earum genere, quibus utimur, cum præſidentes alicui literario certamini (vulgo Concluſioni) difficultatem aliquam, quam diluere omnino non poſſumus, eludere ſaltem, vel in ſpeciem, ſicque evadere qualicumque tandem ratione conamur. Dubitationis cauſam non auget, quod Auctor Conſtitut. Apoſtolic. lib. cap. 15. ut lego apud Tillemontium Venetæ Edit. tom. IV. pag. 141. baptiſmum & Ipſe generatim reiiciat Hæreticorum; nam Conſtitutionum illarum & incertior eſt auctoritas, & origo valde poſterior; earum tamen meminiſſe volui, quod eas Tillemontius, una cum ſæpe nominatis Canonibus Apoſtolicis XLV. & XLVI. in hujus Controverſiæ tractatione coniungat. Illud ſane dubitandi anſam præbet majorem, quod non videam, qua ratione, ſi duo illi Canones a Donatiſtis initium habuerunt, in collectionem Canonum, vulgo Apoſtolicorum, qua Catholicos uſos eſſe ante tempora Donatiſtarum concedamus, irrepere deinde potuerint. Canones ſcilicet Apoſtolici multo prius apud Græcos vulgati ſunt, quam in Latinorum notitiam devenerint. An ergo putandum, tantum valuiſſe vafritiam Donatiſtarum (quibus tamen cum Græcis non videtur magnum interceſſiſſe commercium) ut pro antiquis obtruſerit, immiſeritque in priorem collectionem duos illos canones, qui Diſciplinam,

Do-

Doctrinamque inducerent contrariam ei,quæ per omnes Orientis Regiones ſemper obtinuiſſet, & hoc præſtiterit, nemine Græcorum fraudem detegente, nemine reclamante? An non veroſimilius, prædictos Canones idcirco in ea Collectione vel ab initio toleratos, quod eam diſciplinam exprimerent, quæ, uti norant, alicubi in Oriente olim fuerat obſervata? Nec vero ſecus exiſtimare potuerunt Latini, quando L. priores Canones utcumque tandem admiſere. Tu ergo, humaniſſime Pater, fac, ut ſciam, an ſupradictæ reſponſioni, quæ mihi in mentem venit, acquieſcere oporteat, an vero meliorem a Te me malis accipere, quod gratius certe quidem accidet. Fac etiam, ſi placet, ut ſciam per Te, quid de Tertulliano cogitandum ſit, qui lib. de Bapt. c. 15. ſi fides Tillemontio ibidem pag. 140., idem ſenſit, quod paſſim Cypriano tribuebatur, priuſquam hac de re ipſe ſcripſiſses. Movet enim quam maxime, quod Cyprianus mirifice, ut Tu adnotaſti, delectatus ſit Tertulliani lectione. Sed de Opere quidem Tuo, quod edidiſti, jam pluſquam ſatis. Fortaſſe autem plura dicere auderem, niſi illius exemplar, curſim a me evolutum, non fuiſſet ſtatim Domino reddendum. Quod etiam pertinet ad promerendam ex Te veniam, ſi quid in eius intelligentia a me forte peccatum eſt.

Liceat vero mihi, ſumta jam ſcribendi licentia, & de altero, quod meditaris edendum, difficultatem unam obiicere, quam nollem a Te

in

in illo intactam præteriri. Optime ſane, & laudabiliter facis, quod, poſtquam Cyprianum purgaſti ab ea, qua per iniuriam Donatiſtarum aſperſus fuerat macula, illum præterea Aſſertorem præcipuum oſtendere velis ejus Auctoritatis, quam Nos R. Pontificibus vindicamus. Nec dubito, quin Tibi res proſpere ceſſura ſit, cum de eo Patre Sanctiſſimo agatur, qui pacis Eccleſiaſticæ præ omnibus ſtudioſiſſimus fuit, quique probe intellexit, quid in ampliſſima *Centri unitatis*, quod ipſe commendat, virtute contineatur. At parum tamen profeciſſe, me quidem judice, Tibi videri debes, pro adſtruenda R. Pontificis Infallibilitate, niſi argumentum illud evacues, quod colligit ex Cypriani facto (verum, an falſum ſit perinde eſt) Doctiſſimus, deque Eccleſia optime meritus Boſſuetus, ſive quivis alius, qui ſub eius nomine librum ante duos annos evulgavit, cui ſcilicet titulus *Defenſio Declarationis* &c. de quo Tu ipſe nonnunquam mentionem inieciſti. Continetur autem illud argumentum pag. 262. & ſeqq. Tom. II. quod hic non exſcribo, ne Epiſtolæ modum excedam. Nec vero ibi prodeſſe poteſt acutiſſima illa Tua, quam ego, etiam veram dico, diſtinctio Syſtematis hypothetici ab abſoluto. Fac enim, nullum, cui Cyprianus obſtiterit, (ut Tu quidem demonſtraſſe viſus es) pro admittendo hæreticorum baptiſmo a Stephano Papa emanaſſe decretum; At Auguſtinus, hypothetice ad minus, emanaſſe illud, eique Cyprianum aſſenſum denegaſſe concedit, in eo-

que excuſat, quod erraverit Ille, antequam obſcura quæſtio *tantis altercationum nebulis involuta, ad Plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta eſt*; ergo exiſtimabat, ait Gallus ille auctor, *ad captivandum intellectum Stephani Papæ Decretum, atque auctoritatem non ſufficere*. Quod & inſigniori textu Auguſtini ex Lib. 2. de Bapt. c. 4. 9. ibidem confirmat. Adſtipulatur Tillemontius, nihil hæſitans, in Vita Cypriani art. XLVII. Hic eſt nodus, quem ſi mihi ſolutum dederis, Œdipus mihi certe eris, aut, ſi mavis, is eris Magiſter, quem aliis præferam. Ut enim dicere auſim, mihi non valde probari, quas hactenus reperi, apud alios Tractatores, huius nodi ſolutiones, ita me dicere non pudet, etſi alias pro modulo meo Theologum egi, me cum aliis innumeris, quæ ignoro, hoc ipſum adhuc ignorare; quænam nimirum ſolida doctrina hac de re contra Gallos Pontificiæ Infallibilitatis Impugnatores, ut eos ad ſilentium adigamus, poſſit afferri. Quod in cauſa eſt, ut Te adeam, per quem, ut profeci in eo, quod ſpectat ad Epiſtolas ſub Firmiliani, ac Cypriani nominibus pervulgatas, ita me profecturum confido in hoc altero, quod non puto levioris eſſe momenti. Tu vide, ne cauſam aliam ſcriptioni meæ ſubeſſe ſuſpiceris. Candide enim tecum ago, ut egi ſemper cum aliis pro more meo, & ut virum religioſum decet de Eccleſiaſticis rebus cum religioſo altero per litteras agentem. Illud pro certo habeas, me

tui

tui admiratorem eſſe, magnique facere Sapientiam Tuam. Gratiſſimum feceris, ſi pro tua humanitate ſignificaveris, me hoc officii genere Tecum gratiam iniviſſe. Ego vere rogo D. O. M. ut Te diu ſervet incolumem, ut Nobilium iſthic Adoleſcentium ſtudiis præſis, & res Eccleſiaſticas pergas ſcriptis tuis illuſtrare. Vale, meique recordari digneris, cum Altari ſalutarem Hoſtiam oblaturus adſtiteris.

Ravennæ ex Monaſterio S. Vitalis XV. Kal. Octobris anni MDCCXXXIII.

Digitized by Google

PRÆCLARO VIRO, SACRORUMQUE CANONUM INTERPRETI EXERCITATISSIMO P. CONSTANTINO ROTIGNO MONACHO CASSINENSI F. RAYMUNDUS MISSORIUS MINORITA

S. P.

SUperioribus diebus accepi Epiſtolam tuam cenſoriam ad vendicias meas Cyprianicas, & Firmilianicas. Eam mihi reddidit Monachus Caſſinenſis. Confeſtim reſigno, cujus chirographo conſignaretur primo inquiro; comperio a Theologo Benedictino conſcriptam, nomenque tuum jampridem mihi perſpectum, atque obſervatum inſpicio. Tum lubenter, atque auſpicato per eurro, poſt relego, deinde etiam expendo: jucundiſſima lectio, fructus uberrimus. Lubenter dixi; tum quod argumentum dudum a me pertractatum retractaret; tum quod Auctorem portenderet Benedictinæ Familiæ, quam ego ſemper pergrato animo, ſingulari ſtudio, egregiàque voluntate ſum proſecutus, atque adeo proſequor; quod ita poſtulet & meorum officiorum ratio, & maxima, quæ de illa extat, amplitudinis, doctrinæ, & ſanctitatis opinio. Dixi etiam auſpicato, pro-

propterea quod quum primum Diſputationes meæ e prelo prodierunt in lucem, duo priora exempla Patavii obtuli duobus item eximiis Caſſinenſis Congregationis Theologis Viro Cl. Cypriano Benagliæ in Gymnaſio Patavino Sacrorum Canonum Interpreti, doctiſſimoque Viro Carolo Milliaræ. Mihi autem in hac Epiſtola tantum tribuis, quantum nec agnoſco nec poſtulo; nam ſi quid eſt in meo opere, quod Te delectet, cauſſæ optimæ, & juſtiſſimæ hoc adjudica, & novo gravique argumento, non obſcuro, ineptoque Scriptori. Et ſane quod argumenti confirmationem commendes, peramanter hoc facis, atque officioſe; quod quidpiam in refutatione deſideres, erudite, & cordate. Nec diffiteor minutiora quædam eſſe, quæ ſi recudenda forent, aut corrigerem, aut confirmarem; tametſi, ut recte mones, cauſſæ ſummam non extenuant. Sed illud velim noris, dimidium ejuſce criticæ lucubrationis tumultuoſe fuiſſe conſcriptum; Typis enim in ſingulos dies ſubſerviendum fuit, & poſtero die cudendum quod noctu confeceram, quod interdiu non vacabat, tum quod nobiliſſimis Adoleſcentibus ſcientiis tradendis incumbendum, tum quod ob Theologicæ Cathedræ, quæ in Gymnaſio Patavino eſt, vacationem, ambiendum fuit, quam quum jam pertingerem, Viro eximio, & de me optime merito, qui me multum doctrina, atque ætate præſtabat, ultro, lubenterque conceſſi. Patere igitur Vir præclare ſi quid offendiſti quod minus arrideat; quandoqui-

dem ne in hac quidem epiſtola me tale quiddam allaturum aut ſpero, aut polliceor; quamquam novi nihil ad Viros doctiſſimos afferri oportere, quod non probum ſit, non excoctum, non emaculatum; aſt ego tecum non congredior, ſed colloquor; nec tibi repugno ſed repono; neque id provocatus, ſed juſſus. Tu quidem benevole mecum egiſti, ſapienter atque honeſte; ſed ille enimvero Romanus Congerro invide, imperite, atque etiam impudenter, quem ego ... Sed præſtat ad quæſtionem abs te propoſitam deſcendere.

Primum illud ſciſcitaris " Qui fieri potuerit, " ut duo canones, vulgo apoſtolici XLV. & " XLVI. quibus Hæreticorum baptiſma rejicitur, " extarent, ſi nuſquam fuit ante tempora Do" natiſtarum(quæ tua opinio eſſe videtur)de Hæ" reticorum baptiſmate inter Catholicos ulla con" tentio? Appoſite, ac prudenter parentheſim illam appoſuiſti *quæ tua opinio eſſe videtur*; neque enim eſt; num. ſiquidem XV. cap. I. prioris Diſſertationis illud ſtatuo: nullam fuiſſe apud Orientales Patres diſceptationem ſuper baptiſmo, qui cum Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione miniſtrabatur; neque in eo diſputo: neminem unum in Oriente baptiſmum iteraſſe temporibus magni Cypriani, & Stephano ſedente; ſed non Helenum, non Firmilianum, non Patres Iconienſis, ac Synnadenſis Concilii. Quin pag. 173. Montaniſtas in Oriente rebaptizare conſueviſſe, Philaſtrium auctorem habens per me ipſe adnotavi;

co-

eorumque patrocinium Tertullianum Montani partibus deditum ſuſcepiſſe docui ex ipſiuſmet Tertulliani libris. Nunc illud addo ex Epiphanio hær. 42. Marcionem ante Montanum uſque tertio baptiſmum repetiiſſe. Non igitur quamlibet apud Orientales dimicationem abſolute ſum inficiatus; ſed illud non uno, nec levi momento conjeci: contentionem illam de Hæreticorum baptiſmo, (ſi qua exarſit in Oriente) multo aliter habuiſſe, atque narratur ab Euſebio Cæſarienſi, uti a pag. 37. ad pag. 88. Iccirco in priori epiſtola, qua tibi reſponſum dedi, hanc ipſam conjecturam fuſe ſum perſecutus. Cur vero Montaniſtis dimiſſis ad Donatiſtas in altera reſponſione ſuſpicionem adjecerim, in cauſſa fuit ea animadverſio, quam proxime ſubdis: *quid ergo dicemus? an & hos canones ab aliquo impoſtore Donatiſta fuiſſe confictos?* Nam quod Te de Donatiſtis leviſſime ſuſpicari perſpicerem, hoc me plane adduxit, ut rem retractarem, fraudemque Donatianam iterum perveſtigarem, ſi forte contingeret iis tandem hos canones citra injuriam adjudicare, quorum maxime intererat eos ipſos confingere. Et ſane non pauca, nec levia in altera illa inquiſitione occurrerunt, quæ tibi itidem patefeci; quibus Tu Vir acutiſſime tot tantiſque momentis repugnaſti, ut quæ mihi rem recudenti probabiliora giſa ſunt, objectationes tuas expendenti vix vero ſimilia videri cœperint; atque ultro fateor me rem non fuiſſe aſſecutum; quis autem aſſequatur in tanta rerum, ac temporum, ſcriptorum-

que

que perturbatione? Veruntamen placet quæ de Donatiſtis conjeci hic exſcribere; itemque ex cunctis objectationibus, quas literis tuis poſterioribus prioribus meis reddidiſti, illas potiſſimum indicare, quæ mihi immodicam de priori, in qua eram ſententia, dubitationem injecerunt.

Ajebam itaque, unum, & alterum canonem XLV. & XLVI. quibus Hæreticorum rejicitur lavacrum, Donatiſtarum fraude, ac verſutia in collectionem illam Apoſtolis olim adjudicatam, intruſos fuiſſe. Etenim ſi furtum comperio, & Furem agnoſco, quid temere alios incuſo? At enim inquis; tum Fur non extabat. Si me rogas, neque Fur, neque furtum. Qui enim fieri potuit, ut ineunte hæreſi Donatiana ejuſcemodi canones extarent, nec unquam a captioſiſſimis Donatiſtis ad errorem ſuum, jam tum ſacramento litatum, confirmandum ſint uſurpati? Ne in magna quidem illa Collatione Carthaginienſi, in qua certiſſimo Auguſtini teſtimonio nullum non moverunt lapidem. Ecquis Donatiſtis, aut accuratior, aut callidior, aut rebus ſuis proſpiciens magis? Ecquid contra duobus hiſce canonibus aptius, aut validius ad vendicandum anabaptiſmum? Nil ſiquidem a Catholicis crebrius, aut firmius Donatiſtis opponebatur, quam apoſtolica traditio; huic vero ita ſtrenue ut aperte repugnabant duo canones apoſtolici, quibus Hæreticorum baptiſmus iterari jubebatur.

Nunc in eo diſputas " Canones apoſtolicos multo

multo prius apud Græcos vulgatos fuiſſe, quam „ in Latinorum notitiam devenerint „. Antequam pergis ſubſiſte paullulum Vir ornatiſſime. Vereor ne tua hæc opinatio, quæ Dallæum Auctorem habet, plurimoſque Sectatores, potius rumori vulgi, quam critices præceptionibus ſit accomodata; quandoquidem quod Canones illi apoſtolici fierent, magno eſt argumento, creditos uſquequaque fuiſſe ab Apoſtolica Sede ſatius quam a Græca quapiam Eccleſia proficiſci, tametſi græcis tantum literis conſignabantur; eo etiam veroſimilius quod a Sancto Clemente Romano S. Petri Diſcipulo, paulloque poſt in Pontificatu ſucceſſore ea Canonum collectio græce conſcripta, atque Eccleſiæ univerſæ tradita putaretur.

Cur vero ante ſæculum integrum, quam in Eccleſia Occidentali, horumce Canonum mentio in Orientali facta ſit, in cauſſa fortaſſe fuerit turbulentum, ac mobile novarumque rerum cupidum Græcorum hominum ingenium; qui cum literariis concertationibus præter ceteros ſtuderent, ſingula chriſtianæ fidei dogmata, & primigeniam Eccleſiæ diſciplinam per ſummam injuriam, & impudentiam miſcuerunt, quibus iccirco mature occurrendum fuit, & quæcumque id temporis ab Eccleſia magni fiebant monumenta, veluti firmæ quædam munitiones, opponenda fuerunt; fortaſſis a Latinis item atque a Græcis oppoſita eſſent, ſi ita facto opus fuiſſet.

Ceterum eorum Canonum Syllogen non uſ-

Digitized by Google

quequaque ante Sæculum VI. Latinos latuiſſe, ſuadet celeberrimum Decretum Gelaſianum de libris recipiendis ac rejciendis, ſuper quo quamquam vehementer dimicatur inter Eruditos, tamen tot tantique MS, iidemque vetuſtiſſimi Codices ſuccurrunt; hominibus ipſis etherodoxis, veluti Pearſonio probati, ut levibus, quæ adverſantur ſuſpicionibus, minime aſſentiendum exiſtimem. Quod ſi Damaſo idem ipſum Decretum adſcribamus cum antiquiſſimo Codice Collectionis Dionyſianæ, eruditiſſimo Balutio per Lucam Dacherium communicato; cui adſtipulatur Concilium Romanum ſub Damaſo in Creſconiana Collectione ad annum Chriſti 69, jam ſub dimidium ſæculi quarti eorumdem canonum laterculum Occidentalibus perſpectum fuiſſe, liquido deprehenditur.

Nec me movet Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis auctoritas opuſc. 53 capitum, Cap. 24 adverſus Hincmarum Nepotem Epiſcopum Laudonenſem adteſtantis.*B.Gelaſium in cathalogo qui libri ab Eccleſia recipiantur penitus tacuiſſe, ſed nec inter Apocrypha eos miſiſſe*. Aſſentior ſi quidem Natali Alexandro opinanti, Hincmarum in codicem mutilum Synodi Romanæ ſub Gelaſio incidiſſe. Nam *locus* ab Alexandro reſtitutus: *ſed nec inter apocrypha eos omiſit*, mihi minus probatur; extortus namque videtur atque improprius, præſertim cum prædixerit *penitus tacui.* Qui enim prudenter miraretur Hincmarus, Gelaſium de his canonibus in cathalogo librorum; qui

qui ab Eccleſia recipiuntur *penitus tacuiſſe*, ſi *inter apocryphos eos non omiſit?* Sed huic Hincmari pronunciato Dionyſii Exigui Collectio tempore præſtat atque auctoritate. Nil vero mirum ſi unum, & alterum Dionyſianæ Collectionis codicem quis offenderit in quo nihil, tale comperitur; hæc ſi quidem admiratio quotidiano arcetur experimento, quod nedum omnium propemodum veterum Scriptorum tum ſacrorum,tum profanorum, verum etiam divinæ Scripturæ codices mutili non uno in loco deprehenſi ſunt; qui propterea & illi eruditorum hominum opera, & hi Romanorum Pontificum auctoritate ſunt reſtituti. Quamvis autem cum optimis MS. codicibus, qui in magna nunc ſunt apud Eruditos exiſtimatione, Canonum Apoſtolicorum mentionem in Gelaſiano decreto inficiemur, extat adhuc apud Gratianum diſt. 16. cap. *ſi præclarum* hoc monitum magni illius Hiſpalenſis Epiſcopi S. Iſidori: *Canones, qui dicuntur Apoſtolorum. Sed quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit, nec SS. Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo quod ab Hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur; quamvis in eis utilia inveniantur, tamen auctoritate canonica, atque apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.* Teſtatur Antonius Auguſtinus Tarraconenſis Epiſcopus lib. 1. de emendatione Gratiani apud Alexandrum ad Sæcul. I. diſert. 18. prop. 2. Refert etiam Viſſerius in prologm. in Ignat. cap. 15. apud Tillemontium Tom. 2. Venetæ Editionis

pag. 166. Ex quo duo ad rem conſequuntur. Primum, collectionem hanc ante Dionyſium Romanæ Eccleſiæ innotuiſſe, a qua ea collectio rejecta eſt, veluti, & a S.S. Patribus, Occidentalibus certe, quorum nomine non alii veroſimilius intelligendi occurrunt, quam Epiſcopi Concilii Romani, ſub Gelaſio an ſub Damaſo, non facile dixerim, fortaſſis etiam ſub neutro. Deinde vulgatam illam opinionem convelli qua L priores canones olim ab Apoſtolis nunc vero ab Orientalibus Conciliis confecti ducuntur; affirmantur enim ab Iſidoro nedum *remoti ab auctoritate Apoſtolica* verum etiam *a Canonica*, quin & *ab Hæreticis compoſiti*, nullo diſcrimine L priorum a poſterioribus. Perge nunc quo ſuſcepti argumenti ratio te adducit. *An ergo putandum tantum valuiſſe vafritiam Donatiſtarum, ut pro antiquis obtruſerit; immiſeritque in priorem collectionem duos illos canones?* Quidni vaferrimi Donatiſtæ duos canones confingere valerent, totique obtruderent Occidenti? quandoquidem Synveſſanum Concilium de integro confinxerunt; cujus ſententia Synodica in Marcellinum in Romanum Breviarium irrepſit; tam affabre Donatiſtæ calumnias ſuas ſtruebant. Quid ergo dubites Donatiſtis omnium mortalium callidiſſimis commentum iſtuc tribuere, quando iſtuc ipſum (ſi Donatiſtas miſſos facis) cuipiam alteri Hæreticorum factioni, cui minus fortaſſe calliditatis, minuſque fuerit pertinacis opinionis, non dubitanter eſt tribuendum?

Sed

Sed illud obſtat, quominus Donatiſtis attribuas " *quod non magnum* hiſce cum Græcis videatur intercesſiſſe commercium „. An magnum interceſſerit neque ajo, neque nego; fædus vero cum Arianis iniiſſe diſerte perhibet Auguſtinus, cujus loca exſcripſi ad pag. 45; nunc quantum Donatiſtæ in meridie, quantum Ariani in Oriente, atque Occidente roboris haberent, ac firmamenti, otioſum eſt recenſere. Quin ſatis aptum hinc eruitur argumentum, neque in græco regeſto duos illos canones ante Carthaginienſem collationem fuiſſe comprehenſos. Neque enim veroſimile fit, eoſdem canones jam tum græcis hominibus innotuiſſe, neque ab Arianis mature Donatiſtis fuiſſe communicatos, quod neque opportuniores, neque utiliores ſuppetias fæderatis ſuis apoſtolica traditione ægerrime divexatis ferre poſſent, quam duos cannones de abdicando profano lavacro, Apoſtolorum nomine inſignitos, Orientiſque religione conſecratos. Tu quidem poſterioribus literis unius, & alterius canonis mentionem a Græcis factam recenſuiſti; nil tamen peculiare adduxiſti, ex quo oppoſitum confici poſſit argumentum ad hos canones, de quibus honeſtiſſima inter nos dimicatio eſt, in ea Collectione annumerandos. Nam quod iterum ac tertium provocas ad veterem Orientis diſciplinam Conciliorum Iconienſis, ac Synnadenſis canonibus, fortaſſe pro Apoſtolicis deinceps obtruſis, græcæve gentis credulitate confirmatam, enimvero ajo, nec eam fuiſſe id temporis diſciplinam, quam

 Euſe-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Euſebius perhibet, quin nec eſſe debuiſſe, quod ſatis jam, (aut ego fallor), ſuperque probavi. Quæ vero in altero reſponſo multa congeris eruditione, gravique confers judicio ad Orientis diſciplinam in iis canonibus introſpiciendam, id tibi ego inficiari non auxim; quamquam enim de integro confiĉti fuiſſent, continuo ei diſciplinæ, quæ tum in Oriente obtinebat, accomodandi fuerunt; ad quam etſi non reſpexiſſent, nil factu proclivius, quam multa de diſciplina temere præcipere, e quibus nonnulla uſui tum vigenti egregie reſponderent.

Id potius inquirendum videtur, an Donatiſtis ad hoc molimen admovendum opus fuerint A- „ rianorum manus. Nam quod ſubdis " prædi- „ ctos canones, ut qui diſciplinam, doctrinamque „ inducerent contrarias ei, quæ per omnes Orien- „ tis Regiones ſemper obtinuiſſet, difficillime ita „ obtrudi potuiſſe, ut nemo Græcorum fraudem „ detegeret, nemo reclamaret, id magis confirmat quod modo demonſtravi, nimirum nondum in illorum canonum album duos iſtos, de quibus nunc diſceptamus fuiſſe relatos. Exinde illud eruis quod magis ſupinæ veterique credulita- „ ti, quam rectæ rationi conſentaneum eſt " An „ non (inquis) veroſimilius, prædictos canones „ iccirco in ea collectione vel ab initio toleratos, „ quod eam diſciplinam exprimerent, quæ uti „ norant alicubi in Oriente olim fuerat obſerva- „ ta? nec vero ſecus exiſtimare potuerunt Latini, „ quando L priores canones utcumque tandem

„ ad-

„ admiſere „ . Verum conjecturam hanc fieri vetant in Oriente Nicænum , & CP.^{num} I. quorum alterum, ſi duo illi canones inter apoſtolicos extitiſſent , nunquam certo canone in Paullianiſtarum baptiſmum ſtatuiſſet , quin prius de corrupta evangelica forma eoſdem explicaſſet , atque adeo in rem ſuam adduxiſſet ; Sin minus, uti ſpurios rejeciſſet,quidem certe;atqui non explicuit, non adduxit,non rejecit,uno verbo neutiquam meminit; magno igitur eſt argumento ante Nicæni tempora non extitiſſe. Alterum etiam CP.^{num} cui VII. ille canon de Hæreticorum baptiſmo a nonnullis Græcis Collectoribus adjudicatur , ea ipſa æconomia , quæ in Nicæno deſideratur , eoſdem canones opportune commemoraſſet veluti opportune quidem commemoravit poſt annos XIII. Concilium alterum , quod CP.^{li} habitum eſt in cauſa duorum Competitorum Epiſcopatus Boſtracenſis . Duo hic in tempore obſervare libet ; alterum cum Tillemontio , nullam de hac apoſtolicorum canonum collectione antiquiorem fieri mentionem hac ipſa , quæ in hac Synodo facta eſt ; quandoquidem quas priores ſecundo recenſuiſti , non plures , ſed unum dumtaxat appellare canonem textus ipſe declarat . Alterum , Synodica iſta ſanctione alludi ad canonem inter apoſtolicos LXXIII. qui communi calculo in apocriphos rejcitur cum reliquis , qui numerum quinquageſimum excedunt. Ex quibus duo item conſequuntur . Primum , perperam omnino affirmari, duos illos Canones in album , quod Apoſtolorum voci-

citatur,ante Donatianam hæreſim obrepſiſſe,cum in re tam craſſis tenebris obducta nihil affulgeat quod huic judicio, non dico viam, ſed aliquod ſaltem diverticulum demonſtret, quominus cæcum, verius quam preceps, ſit, atque vocetur. Deinde regeſtum illud nullo delectu verorum a falſis circumlatum fuiſſe. Ad Occidentem quod attinet, idipſum de Arelatenſi I judicium eſto ac de uno, & altero Nicæno, & CP.no Concilio modo prolatum eſt.

Patere nunc, Vir honeſtiſſime, me libere quidem, ſed procul injuria ſententiam meam promere de illa canonum collectione jam diu Apoſtolis attributa. Principio ſic exſtimabam, fuiſſe utrumque canonem Hæreticorum fraude non confictum, ſed corruptum; eamque clauſulam ex illorum contextu doloſe abſtractam fuiſſe, qua is baptiſmus dumtaxat notaretur, qui aut ſuppreſſa, aut etiam ſuſpecta Trinitatis invocatione, miniſtrabatur; neque enim ſatis percipere potui, quo pacto Dionyſius Exiguus, qui omnium Princeps eorum Canonum, qui tum patebant, ſeriem adornavit, atque propoſuit, unum, & alterum canonem pro rebaptiſmo inter Apoſtolicos recenſuerit poſt compertam, atque expreſſam Arelatenſis Concilii damnationem, ut CP.num I. prætercam. Verum, quum circumſpecte, ac diligenter illorum inquiſitionem ſuſcipio, confeſtim Donatianam ſcabiem perſentio: quum confero priorem canonem cum poſteriori, Donatiana hæreſis tota quanta eſt erumpit. Affertur

ſiqui-

ſiquidem in priori locus ex II. Cor. Cap. 6. *Quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars Fidelis cum Infideli?* Quem locum eodem refert Pſeudo Cyprianus in epiſtola ad Jubajanum, quem contra verus Cyprianus lib. 3. Teſtim. Cap. 62. explicat *de Matrimonio cum Gentilibus non jungendo*. Eo ipſo loco abuſus eſt Parmenianus Donatiani Schiſmatis Coriphæus apud Aug. cont. Epiſt. Parmen. lib. 2. cap. 18, ceterique Donatiſtæ qui tam nefariæ cauſſæ patrocinium poſt Parmenianum ſuſceperunt, apud eumdem lib. ad Donatiſt. poſt collat. Duo hic obiter, at in tempore velim animadvertas. Primum ſi Epiſtola ad Jubajanum Cyprianica foret, jam Cyprianus egregie ſecum pugnaret, quippe qui, cum ſententiam apoſtolicam de Matrimonio cum Infideli non jungendo ex Apoſtoli mente, & verborum ſenſu vere, & proprie explicaſſet, poſtmodum ad Hæreticorum baptiſmum contorſiſſet. Deinde, ſi Auguſtino ſuperſtite recitatus canon extitiſſet, dubio procul Donatiſtæ Auguſtinianam interpretationem veluti abſurdam hujuſce canonis teſtimonio, Catholicis ipſis probantibus, ludificati fuiſſent. Ad canonem XLVII. quod attinet, comma illud *aut pollutum ab impiis non baptizaverit* hæreſeos Donatiſtæ ſummam complectitur, dirique Schiſmatis cauſſam deſignat, nimirum de juſtis iniquorum conſortio contaminatis; cujus quidem imaginariæ contagionis refutatio tot tantaque metitur Auguſtini Opuſcula adverſus Donatiſtas conſcripta.

Hinc ſatis intelligis Vir prudentiſſime expli-

cationem illam, quam pro duobus hiſce toties nominatis canonibus vendicandis Binius offert in notis, nec veram eſſe, nec vero ſimilem. Illud etiam ſpero juxta mecum intelliges, uſquequaque difficillimum eſſe intellectu, cur Dionyſius Exiguus poſt notiſſimam, ac repetitam Donatiani erroris proſcriptionem ambos illos canones reliquis 48 annexerit, quamquam, ut ipſe idem perhibet, etiam tum a quibuſdam pro apoſtolicis jactabantur. Fateor me diu, ac ſedulo hoc mecum cogitaſſe qua demum ratione iſta conciliarem, nec aſſequi potuiſſe. Quæ quidem Dionyſiana, non dico incoſiderantia, ſed coniventia, in cauſſa potiſſimum fuit, cur etiam num. in quinquageſimo illo numero deſcribantur. Proinde ſi quid habes, quod hunc nodum expedire poſſit, pergratum facies ſi communicaveris.

Et ſane gratiſſimum fuit judicium tuum poſt
„ aliquot dies accipere, quod hic exſcribo " Ad
„ hæc (inquis) minus mirum videbitur, Dionyſium dictos canones ſuæ collectioni inſeruiſſe, poſt
„ detectam maniſeſtiſſime veritatem, ſi cogitemus hoc fortaſſe illum feciſſe veneratione quadam ductum, ut ego coniicio erga illas priſcorum Patrum Synodos, quibus traditio eos ferebat acceptos, niſi malimus dicere (quod etiam
„ libet magis) Dionyſium mancam ad poſteros,
„ & a ſe detruncatam tranſmittere noluiſſe collectionem canonum vulgo apoſtolicorum, quorum jam illuſtris apud pleroſque omnes erat
„ auctoritas (quam ſane tam cito non obtinuiſ-

„ ſent,

„ ſent, ſi vel paullo ante id temporis Gelaſianam „ cenſuram paſſi eſſent, vel Damaſi decreto, ſi huic „ magis eam cenſuram tribuere velis, confixi fuiſ- „ ſent), quamquam, ut ipſe monet Dionyſius, non- „ nulli non facilem eidem Collectioni præberent „ aſſenſum, fortaſſe vel maxime ob duos illos, „ de quibus quæſtio eſt.

„ Deinde quid enim vero ſi non magis proba- „ verit Dionyſius ſingulos apoſtolicos L canones, „ quos in collectionem ſuam transferebat, quam „ probaverit ſubinde eos poſt diuturnum tempus, „ & Urbanus II. apud Gratianum Can 6 diſt. 32, „ & Humbertus Cardinalis contra Nicætam ſub „ nomine Leonis IX, item apud Gratianum „ diſt. 16. Can. 3, ubi prædictus Cardinalis ab apo- „ cryphorum numero excipit quinquaginta Ca- „ pitula, hoc eſt Canones, ſive conſtituta, „ *quæ Patres* (inquit) *decreverunt Orthodoxæ* „ *Fidei adjungenda*: quibus ſane verbis, non id „ puto ſibi voluiſſe, quod videlicet ſinguli apo- „ ſtolici canones doctrinam ſaperent orthodoxam, „ ſed quod collectim accepti pleraque continerent „ ad fidem, diſciplinamque fovendam utilia. „ Quo in ſenſu ſi accipias quod egit Dionyſius „ cum integram dedit canonum L collectionem, „ non magis eum criminari poteris, quam mo- „ dernos quoſque Collectores, qui ut exhibeant in- „ tegra monumenta quævis Eccleſiaſtica, hiſto- „ ricæ eruditionis ergo, eos quoque canones re- „ cenſent, quos nec probant ipſi, & vel falſos „ eſſe, vel abrogatos, rejectoſve non dubitant.

„ Etſi enim, ut judicioſiſſime Hincmarus Rhe-
„ menſis ſtatuit in Opuſculo 53 capitulorum
„ Cap. 24, quædam in canonibus, qui per ipſum
„ quoque Apoſtolis falſo tribuuntur, ſint recepti-
„ bilia, quædam vero ſunt non ſervanda, ta-
„ men inquit.... *Sicut majorum traditione didi-*
„ *cimus ſeorſum ante Concilia in canonum libris*
„ *AD INSTRUCTIONEM & PROPTER*
„ *VULGATAM EORUM FAMAM*, *PO-*
„ *NUNTUR*.

„ Denique ſi poſt hæc mirari pergas quod Dio-
„ nyſius duos illos canones viſus ſit adprobaſſe,
„ cum eis in ſua collectione locum dedit, multo
„ igitur magis mirare quod Trullani Patres ca-
„ nones apoſtolicos LXXXV, atque inter hos
„ etiam ſeptuageſimum ſeptimum, qui ſimul
„ rebaptizationem, & reordinationem comple-
„ ctitur, omnes indiſcriminatim probaſſe viſi ſint,
„ atque obſervandos propoſuerint; ac maxime
„ etiam mirare, quod ob reverentiam erga glo-
„ rioſiſſimum Martyrem, inſignemque Docto-
„ rem Sanctum Cyprianum Patres illi etiam Sy-
„ nodum admiſerint, quam ipſe habuerat; quam
„ ego ſane Carthaginienſem illam cum Baronio
„ intelligo, in qua hactenus creditum eſt, ana-
„ baptiſmi quæſtionem fuiſſe pertractatam, &
„ male definitam. Perperam enim affirmat,
„ & gratis omnino Guilielmus Cave in ſua hiſto-
„ ria literaria, ubi Concilii Trullani vindicias
„ agit, Trullanos Patres Cypriani Synodum com-
„ memorando, illuc animum non intendiſſe.

„ At,

Digitized by Google

„ At, inquies, minus mirum erraſſe hac in re „ Concilium Trullanum, quod in pleriſque a- „ liis erraſſe deprehenditur. Atqui non erravit „ tamen, ut mihi videtur, ſi de dogmate ſer- „ mo ſit, quod de baptiſmo Hæreticorum gene- „ ratim tantum fuerat ſtabilitum. Etenim non „ in ea fuerunt ſententia Trullani Patres, ut „ crederent baptiſmum verbis evangelicis rite „ collatum, per hoc invalidum eſſe, quod ab „ hæretico homine conferretur; ſed ſi aliquorum „ baptiſma rejectum voluerunt, ideo voluerunt, „ vel quod in eo legitima forma deeſſet, vel ſi „ non deeſſet ipſa quo ad verborum ſonum, exi- „ ſtimarent tamen, (ſive vere, ſive per erro- „ rem, quod nunc quærere non vacat), quali- „ cumque ratione ita vitiari, ut ad Sacramen- „ tum perficiendum non ſatis virium haberet. „ Et quidem cum Canone XC. Arianorum, Ma- „ cedionanorum, Catharorum, Apollinariſtarum, „ & quorumdam aliorum Hæreticorum baptiſ- „ ma admittunt, *de Paullianis* tamen, inquiunt, „ *a Catholica Eccleſia ſtatutum eſt, ut ii omnino* „ *rebaptizentur*; quibus ipſi adjungunt Euno- „ minianos, Montaniſtas, & Sabellianos, quos „ tamquam Gentiles jubent recipi, ſi ad Ca- „ tholicam Eccleſiam accedant. Ubi facile vi- „ des, Vir diligentiſſime, Patres Trullanos non „ exiſtimaſſe controverſiam de baptiſmo Hære- „ ticorum omnium in Nicæno Concilio fuiſſe „ definitam, ſed tantum ibi cautum fuiſſe, ne „ ſine novo lavacro reciperentur Paullianiſtæ,

 „ qui

„ qui abſque Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione „ ſuos abluebant. In qua Sententia fuiſſe videntur Sanctus Baſilius, & alii Epiſcopi Cappadoces, ut ex Baſilii literis colligitur. Nec ſecus ſenſit Auctor Can. VII. inter eos quiCP.no I. Concilio adſcribuntur vulgari opinione, juxta quam tibi reſpondi ſuperius; quamquam ſciam tali Concilio certis argumentis a Beveregio eum canonem abjudicari. Porro in hoc Canone vulgo CP.no, ad quem ſane mentem adverterunt Trullani Patres in condendo canone ſuo præfato XC, diſcrimen ſtatuitur hæreticorum illorum, quorum baptiſmus eſt repudiandus, & quorum recipiendus. Quapropter quum Trullani Patres recipere videntur Canones illos Apoſtolicos de Anabaptiſmo, ac etiam Synodum Cyprianicam, non debemus cenſere, probaſſe eos ex integro, & indiſtincte ſententiam omne hæreticorum lavacrum reiicientem, ſed probaſſe tantum juxta diſcrimen, quod ipſi ſtatuebant in præfacto Canone ſuo XC. Et ſane cum plurimos illi renovent ſingillatim Canones Apoſtolicos in ſua editione Canonum 102, duorum tamen illorum, de quibus eſt principaliter ſermo, & ſexageſimi ſexti, & Canonis Cyprianici expreſſe, & nominatim non meminerunt; quod indicio eſt, eos tantum generice, ut ajunt, & reverentiæ cauſſa a Patribus fuiſſe utcumque admiſſos. Et hæc quidem, quæ de Trullanis Patribus a me excogitata ſunt, ſi tu pro veris, aut veroſimili-

„ bus

,, bus habenda duxeris, valebunt, ut puto,
,, non modo ad minuendam admirationem, quæ
,, oritur ex ipſis, ſed ad tollendam etiam eam,
,, quæ oritur ex Dionyſio, Canones Apoſtolicos
,, ſine diſcrimine recenſente. Quod ſi palatui
,, tuo iſta non ſapiant, quod valde timeo, tu
,, puta non ſcripta, & in his non ſcribentis do-
,, ctrinam, quæ exigua profecto eſt, non dili-
,, gentiam, quam ad finem epiſtolæ properans,
,, & alterius generis ſtudiis detentus adhibere
,, modo non potui, ſed affectum reſpice volentis
,, tibi obſequi, ac libero etiam ſcribendi genere
,, bene de Te mereri. Tu fac, ut valeas, me-
,, que tibi addictiſſimum eſſe memineris.

Hactenus Tu graviter, acuteque, modeſte, atque etiam officioſe. Nec diffiteor unam, & alteram, quam de Dionyſio ambos illos canones de Rebaptiſmo recenſente conjecturam cepiſti, a veriſimilitudine abeſſe. At quam inde ducis conſecutionem, Canones Apoſtolicos non tantum auctoritatis apud pleroſque omnes Dionyſii temporibus nacturos fuiſſe, ſi paullo ante id temporis Gelaſii, aut, ſi per me licet, Damaſi decreto confixi fuiſſent, paullo involutiorem judico, propterea quod ex adteſtatione illa Dionyſiana, contra quam conjeciſti, conjiciendum videatur. Inde ſiquidem plane colligitur, longe plures fuiſſe ex Eruditis, [quorum tantum hæc quæſtio intereſſe potuit], qui aſſenſum his canonibus denegarunt, quam qui præbuerunt, namque ita legimus. *Quibus quia PLURIMI conſen-*

ſenſum non præbuere facilem . Verum 'ſi paullo circumſpectius Dionyſiana verba remetiamur, non magno negotio animadvertemus, neminem unum id temporis extitiſſe, qui prædictos Canones pro Apoſtolicis haberet, ſed id tantum in quorumdam contentione poſitum erat, an ii Canones, qui Apoſtolica auctoritate deſtituti agnoſcebantur, canonicam ſaltem obtinerent? hanc porro *PLURIMI*, ſeu multo plures, perinde eſt, inficiabantur. Quæ communior inficiatio duobus poſterioribus inciſis ejuſdem ambitus attingitur. *Hoc ipſum* (ſubdidit) *veſtram ignorare nolumus ſanctitatem; quamvis poſtea quædam conſtituta Pontificum ex ipſis canonibus aſſumta eſſe videantur*. Anne Stephanus Epiſcopus Salonitanus tam hoſpes erat, tamque hebes, ut etiam tum eos canones Apoſtolicos reputaret? Annon potius monendus fuit de quam minima, quam apud pleroſque omnes canonicam obtinebant auctoritatem? Et ſane Dionyſius ſacrorum canonum peritiſſimus, horumce decretorum auctoritatem Stephano enuncians, monet, illam, ſiqua erat, non aliam fuiſſe quam canonicam, at non ita canonicam, ut in antiquioribus Synodis ſanciti putarentur, ſed eo canonicam, quod *quædam conſtituta Pontificum in ipſis canonibus aſſumta eſſe videantur*, veluti a Synodo Quiniſexta, & multo ante ab altera CP.na Ad hæc id etiam accedit; Dionyſius de ſententiis ſecum pugnantibus, ediſſerens, non præſens ſed præteritum tempus appellat; non eorum qui tum erant, ſed qui fuerant memoriam.

Ad

Ad homines vero ſibi coævos reſpiciens nihil hæſitans ſcribit: *Canones, qui dicuntur Apoſtolorum*, quam nominationem per abuſum dumtaxat uſurpatam proponit veluti rem omnino Stephano compertam, ſuorumque temporum communi conſenſione firmatam. Dein ad tempora anteacta ſermonem convertens affirmat, Veteres Fideles [Occidentales puto, non Orientales] canonibus hiſce *non facilem PRÆBUISSE conſenſum*. Poſt communiorem illam dubitationem quid factum ſit indigitat, *quamvis* [ſubdit] *POSTEA quædam conſtituta Pontificum aſſumpta eſſe videantur*, quod adverbium *POSTEA* tempus notat poſterius quidem ei ſententiarum diſcrepantiæ, ſed tamen ante Dionyſii ætatem. Ex quo alterum conſequitur, hanc ſcilicet Occidentalium inficiationem innuere verius quam excludere Damaſi, vel Gelaſii decretum. Nam quod ante dixiſti, prædictos canones nunquam tantum auctoritatis fuiſſe adepturos, ſi Gelaſiano, vel Damaſiano decreto confiƈti fuiſſent, tuum eſt quatuor probare. Primum tantum auctoritatis reapſe obtinuiſſe. Deinde hanc illis fuiſſe auctoritatem penes pleroſque omnes. Tum & hanc temporibus Dionyſii Exigui. Poſtremo, tametſi obtinuiſſent auctoritatem, hanc fuiſſe Apoſtolicam, non Canonicam, quam utramque iis denegat Magnus S. Iſidorus. Quare quod ſuperius Dionyſii mentem veſtigans, ominatus es, nunquam Dionyſium eorum canonum ſyllogen collectioni ſuæ præpoſiturum fuiſſe, ſi ejuſmodi confixionem paſſi eſſent, quotidiano

exploditur experimento. Nam quid tu dices de Binio, de Labbæo, de Harduino, ceteriſque Collectoribus, qui tantundem præſtiterunt? Finge vero, (ut tibi viro integro, atque officioſo, quam poſſum maxime, conniveam), finge inquam Dionyſii temporibus non Orientales modo, verum etiam Occidentales majori ex parte eos Canones Apoſtolicos judicaſſe, num propterea Gelaſianum Decretum continuo eliminatur? Cur ita? An quia a veriſimilitudine abhorret, poſſe quemquam Decretum aliquod germanum ducere, eo quod ſpurium ab Apoſtolica Sede ſit declaratum? Verus dico, atque etiam ingenuus, me, quum Romæ degerem ſatis adoleſcens, quum primum in hos Canones offendi, magni nominis Theologum percontatum fuiſſe, an revera forent Apoſtolici? Tum ille: quinquaginta priores Apoſtolici ſunt, ceteri 34. non item. Dum vero ætate jam confirmata forenſi diſceptationi adeſſem, quæ in ampliſſima, ac frequentiſſima Curia agebatur, Juriſconſultus quidam magnæ apud eas gentes exiſtimationis Canonem LXXIII. vere a SS. Apoſtolis ſancitum ſerio, nec dubitanter affirmavit. Nam ſane quiddam aliud eſt ſententiam aliquam ratione tueri, atque aliud auctoritate; illud ad unius cujuſque ſcientiam attinet, hoc ad eruditionem. Annon hoc tempore ex tot moralibus poſitionibus ab Apoſtolica Sede confictis, nonnullis viris ipſis doctis & ratiocinantibus probabiles videri poſſunt, eo quod earumdem confictionem ignorent? Quo circa tametſi Decretum

Gelaſianum extitit ante Dionyſium, nihil hunc remorari debuit, quominus eoſdem Canones recenſeret; liquet enim ex ea cauſſa, quam affert, non aliud de iſtis Canonibus judicium feciſſe, quam Hincmarus Rhemenſis. Quod ſi Hincmarus judicioſiſſime, ut tu quidem ſatis ad rem pronunciaſti, cenſuit; *ante Concilia in Canonum libris ad inſtructionem, & propter vulgatam eorum famam poni*, quidni ob eam ipſam rationem Dionyſius ante ſuam Canonum collectionem collocarit? Præſertim cum in eadem Epiſtola ad Epiſcopum Salonitanum idipſum adverterit, nempe *quædam Conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumta videri*. Neque eo miror, quod poſt Gelaſii Decretum eos Canones ſuæ collectioni præmiſerit, nam Gelaſius apoſtolicam auctoritatem iis canonibus inficiatur, quam etiam denegat Dionyſius; ſed non canonicam, quam Dionyſius & ſi ſedulo non affirmat, prudenter tamen conjectat; ſed ideo miratus ſum, Dionyſium nullo diſcrimine duos illos Canones reliquis 48. annexiſſe, quod Donatianam hæreſim a Summis Pontificibus, plenariiſque Conciliis damnatam iidem Canones complecterentur, ab Arelatenſi inquam directe, ab Nicæno vero per acceſſionem, quod jam adverſus Noriſium & Nicolajum per me ipſe demonſtravi pag.46. Dixi etiam a CP.no ſatius quam a Quiniſexto, non tam ob Canonem illum ſeptimum, qui ab acutioribus Criticis cum XIV. Trullanæ ejuſdem Synodi confunditur, quam quod peccatorum remiſſionis per

unicum baptiſma confeſſio a Concilio CP.no I. Fidei Symbolo annexa fuerit; quod item adnotavi pag. 363.

Nunc quoniam ad Trullanos Patres dilapſa eſt diſceptatio, nihilo plus miror, *Trullanos Patres canones Apoſtolicos LXXXV. atque inter hos etiam LXXVII. qui ſimul rebaptizationem, & reordinationem complectitur, omnes indiſcriminatim probaſſe viſos eſſe, atque obſervandos propoſuiſſe*. Quod ſi monitum iſtuc tuum excipere velim, jam ad primam, quam conceperam ſuſpicionem redeundum eſt, nimirum per eos canones eum tantummodo improbari baptiſmum, qui ſine expreſſa, atque integra Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione miniſtrabatur. Nam video Canone XC. eorum dumtaxat Hæreticorum baptiſmum repudiari, quorum formula verbis evangelicis repugnabat, veluti Paulliániſtarum, nec non Eunomaniorum, Montaniſtarum, & Sabellianorum. Novatianenſium vero, & his affinium Hæreticorum baptiſmum, in quo Trinitatis fides, & invocatio non commaculabatur, recipi, & probari. Hinc pace tua dixerim, Vir præclare, & de me optime merite, me non maxime mirari poſſe Trullanos Patres ob reverentiam erga glorioſiſſimum Martyrem, inſignemque Doctorem S. Cyprianum etiam Synodum admiſiſſe, quam ipſe habuerat, quam tu ſane, & meo quidem judicio, longe probabilius, Carthaginienſem illam III. cum Baronio intelligis. Non maxime inquam miror, ſed contra maxime lætor, maximamque

tibi

tibi gratiam habeo, qui pulcherrimum, firmumque argumentum ſuppeditaveris ad confirmandam meam de Cypriani rebaptiſmo ſententiam. Qui enim fieri potuit, ut Cypriani Synodum, ſententiamque in rem ſuam adducerent, niſi illud ſerio, exiſtimaſſent, Cyprianum, ejuſque Collegas Africanos non aliud reſpuiſſe baptiſma, quam quod abſque Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione conferebatur? Quod ſi ea fuit Trullanorum Patrum mens; neque enim aliam fuiſſe res ipſa demonſtrat, jam concidit & Euſebii hiſtoria de Cypriano rebaptizante, & Stephani Decretum, & potiſſimum Donatiſtarum præſidium. Ignorarunt itaque Græci Patres Sæculo VII. hoc Cypriani diſſidium; ſin minus, non crediderunt; ignorarunt Cypriani cum Orientalibus commercium; ignorarunt eamdem, quæ in Cypriano notabatur, Majorum ſuorum de omnium Hæreticorum lavacro reiiciendo ſententiam.

Per me laudo rectiſſimum Tillemontii judicium, certiſſimamque prudentiam, qui eorumdem canonum tractationem, (quod tu maxime animadvertiſti, & mirari etiam viſus es), cum Apoſtolicis Conſtitutionibus coniunxerit. Cenſet itaque Vir ſolertiſſimus, Conſtitutiones Apoſtolicas, quæ hoc tempore eo nomine circunferuntur, haud eſſe eas ipſas, quæ IV. Eccleſiæ Sæculo, & V. ineunte vulgo Apoſtolicæ putabantur; propterea quod multo aliter ab ejus Ævi Scriptoribus citentur, atque hodie habent; interdum etiam unus idemque locus hodierni contextus ve-

teri lectioni contradicat. Quæ Sententiarum variatio, atque oppoſitio a Græcis ipſis in Conventiculo Quiniſexto Hæreticis adſcribitur. Nunc jam intelligis quodnam fuerit Tillemontii conſilium tum quum pauca admodum attigit de canonibus Apoſtolicis, nempe illud ipſum quod de Conſtitutionibus pronunciavit judicium, videlicet, non eodem nunc illos eſſe ſtatu atque olim erant, ſed hunc corruptum, illum inverſum, alterum excluſum, intruſum alterum. Hanc porro perturbationem iccirco mihi perſuadeo, quod videam canonem LXXIII, qui ab numero quinquageſimo exploditur, ab eo Concilio CP.no quod an. 394 habitum eſt, fuiſſe uſurpatum, atque inſtauratum, quem tamen poſt ſeſqui ſæculum Dionyſius Exiguus extra album canonum L deſcripſit; cujus canonis ſive rejectio, ſive ignoratio magno eſt argumento, alium fuiſſe Grecorum Codicem, atque item alium Latinorum.

Ut ut iſta ſe habeant, quæ noviſſimis temporibus a ſcriptoribus noſtratibus magis magiſque perturbata fuerunt, non dubium eſt, quin canones duo, qui noſtram hanc diſceptationem definiunt, ab Hereticis confiĉti fuerint. Quinam vero confixerint, etſi nominatim aſſeverare haud facile eſt, & compertum; conjicere tamen vacat, atque adeo oportet. Nempe iidem ipſi confinxerunt, quorum plurimum intererat eos canones confingere; intererat autem plurimum Marcionitarum, & Kataphrygum; quidni ergo alterutri confixerint? At etiam Donatiſtarum intererat,

rat, atque omnium maxime, quid ergo obſtat cur huiuſce commenti Auctores Donatiſtas exiſtimemus? Eo etiam probabilius, quod hæreſi Donatiana iam adulta, nondum canones illi exerti videantur: nec tibi Viro eruditiſſimo obvium erit illud oſtendere, in græco ſaltem codice ante canones fuiſſe deſcriptos. Sed hominibus pertinaciſſimis (, quantum conjectura aſſequi licet) certum fuit omnia experiri, antequam ſeſe dediderunt. Primo antiqua monumenta depravant. Tum Cypriani Epiſtolas,& Concilia confingunt. Poſt Firmiliani literas. Deinde Concilium Sinveſſanum. Poſtremo cum tot, tantaque confugia undique a Catholicis, hæc oppugnata, illa contempta conſpiciunt, ſolamque Apoſtolorum Traditionem perpetuo ſibi objici animadvertunt; quod ſummum erat moliuntur, Canonibuſque Apoſtolicis, quorum id temporis ob cauſſa ante dictas non ultima erat apud Fideles auctoritas, duos Canones commenti ſuam hæreſim intrudunt.

Hic ſane momentum omnium graviſſimum poſterioribus animadverſionibus tuis, mihi objeciſti. „ Oſtende enim (mihi inquis) quando nam „ Donatiſtæ poſt Carthaginienſem collationem eos „ canones in ſui defenſionem attulerint? Cui enim „ bono confinxiſſent, ſi producendi poſtea animus „ non fuit? An forte eorum intererat in archi- „ vorum latebris interim canones confictos delite- „ ſcere, ut poſt centum annos prodirent in lu- „ cem, cum jam nihil inde ſubſidii poſſent ha- „ bere? Hæc animadverſio, aut ego valde fallor

„ quæ-

„ quæſtionem definit „ Nec ſane falleris Vir doctiſſime. Ita profecto tua iſthæc animadverſio quæſtionem definit, meamque de Donatiſtis opinationem, ut verius dicam, exercitationem, aut ſi mavis, per me licet, divinationem infringit. At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat, qui me male habet. Sinveſſanæ Synodi confictio jam ſumma Eruditorum conſenſione Donatiſtis multis, magniſque momentis adjudicatur, tametſi nuſquam, & a nemine indicatur quandonam Donatiſtæ Synodum illam in rem ſuam adduxerint. Hunc ſi mihi ſcrupulum avellis, victum me uſquequaque fateor ultro ac lubenter, veluti me abs te multimodis edoctum etiam, atque etiam fateor, mihique gaudeo, tibique gratiam habeo. De Tertulliano quod ſubdis, priorem Epiſtolæ tuæ partem abſolvens, ſatis a me, ſuperque pertractatum eſt pag. 173.

Jam ad nodum illum herculeum ventum eſt, quem ſi tibi ſolutum dedero *Oedipus tibi certe ero*; ita namque de me bene, ac liberaliter ſentis Vir humaniſſime. Verum ipſe *Davus ſum, non Oedipus*. Age vero, jam nodum propone. „ Liceat „ vero mihi, [ſic enim pergis], ſumta jam ſcri„ bendi licentia, & de altero, quod meditaris „ edendum, difficultatem unam objicere, quam „ nollem a te in illo intactam præteriri. Optime „ ſane, & laudabiliter facis, quod poſt quam „ Cyprianum purgaſti ab ea, qua per injuriam „ Donatiſtarum aſperſus fuerat macula, illum „ præterea aſſertorem præcipuum oſtendere velis

„ ejus

„ ejus auctoritatis, quam nos Romanis Pontificibus vindicamus. Nec dubito, quin tibi res proſpere ceſſura ſit, cum de eo Patre SS.^mo agatur, qui pacis eccleſiaſticæ præ omnibus ſtudioſiſſimus fuit, quique probe intellexit, quid in ampliſſima *centri unitati*, quod ipſe commendat, virtute contineatur. At parum tamen profeciſſe me quidem judice, tibi videri debes, pro adſtruenda R. Pontificis infallibilitate, niſi argumentum illud evacues, quod colligit ex Cypriani facto, [verum, an falſum ſit, perinde eſt], doctiſſimus, deque Eccleſia optime meritus Boſſuetus, ſive quivis alius, qui ſub ejus nomine librum ante duos annos evulgavit, cui ſcilicet titulus. *Defenſio Declarationis &c.* de quo tu ipſe nonnunquam mentionem injeciſti. Continetur autem illud argumentum pag. 262, & ſeq. Tom. II. quod hic non exſcribo, ne Epiſtolæ modum excedam. Nec vero ibi prodeſſe poteſt acutiſſima illa tua, quam ego etiam veram dico, diſtinctio Syſtematis hypothetici ab abſoluto. Fac enim, nullum, cui Cyprianus obſtiterit, [ut tu quidem demonſtraſſe viſus es], pro admittendo hæreticorum baptiſmo a Stephano Papa emanaſſe decretum. At Auguſtinus, hypothetice ad minus, emanaſſe illud, eique Cyprianum aſſenſum denegaſſe concedit; in eoque excuſat, quod erraverit ille, antequam obſcura quæſtio *tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta eſt;* ergo exi-

„ ſtimabat, ait Gallus ille Auctor, ad capti-
„ vandum intellectum, Stephani Papæ decre-
„ tum, atque auctoritatem non ſufficere. Quod
„ & inſigniori textu Auguſtini ex lib. 2. de Bapt.
„ cap. 4, & 9. ibidem confirmat. Adſtipulatur
„ Tillemontius, nihil hæſitans in vita Cypriani
„ art. 47. Hic eſt nodus, quem ſi mihi ſolutum
„ dederis, Oedipus mihi certe eris, aut ſi ma-
„ vis, is eris magiſter, quem aliis præferam.
„ Ut enim dicere auxim, mihi non valde pro-
„ bari, quas hactenus reperi apud alios Tracta-
„ tores hujus nodi ſolutiones; ita me dicere non
„ pudet, etſi alias pro modulo meo Theologum
„ egi, me cum aliis innumeris, quæ ignoro,
„ hoc ipſum adhuc ignorare, quænam nimirum
„ ſolida doctrina hac de re contra Gallos Ponti-
„ ficiæ infallibilitatis impugnatores, ut eos ad
„ ſilentium adigamus, poſſit afferri. Quod in
„ cauſſa eſt, ut te adeam, per quem ut profe-
„ ci in eo, quod ſpectat ad Epiſtolas ſub Fir-
„ miliani, ac Cypriani nominibus pervulgatas,
„ ita me profecturum confido in hoc altero, quod
„ non puto levioris eſſe momenti „. Hæc tu pro-
be, ac prudenter, erudite, ac benevole; nec dubito quin æqui dociles que Lectores commendaturi ſint animi tui ingenuitatem, ac temperantiam, & præcipuum erga Sedem Apoſtolicam ſtudium, atque amorem. Nunc enimvero gratulor fortunas meas, quod me tardum, ineptumque hominem in id periculum ingenii vocaſti, quod præter Sybillam ſuſcipiat nemo. Nunc ſi

quid

quid eſt in me ingenii, quod jandiu ſenſi quam ſit exiguum, hujus in primis fructum a me repetere prope ſuo jure debent SS.mi Cyprianus, atque Auguſtinus: deinde ii, qui mihi & ad audendum animos, & ad ſcribendum ſtimulos amice, familiariterque addiderunt, quos inter tu amiciſſime ſane, & ac familiariſſime, non modo ſtimulos adjeciſti, qui me permoverent, verum etiam certamen indixiſti, quod me adigeret. Sed Tu in paleſtra ad metam contendentem ſollicitaſti, & adegiſti lubentem, ſive ut Magiſter Tyronem imperitum, ſive ut integer curſorem defatigatum. Quamobrem magnas tibi gratias ago, quod provocaſti, majores etiam quod allexiſti, maximas vero quod ſciſcitando præcepiſti; utinam referam obtemperando. Nil ergo moror, quin cum Gallicanæ Declarationis Defenſore pedem conferam; magis id adeo, ut æquiſſimæ, integerrimæque cauſſæ præſto ſim, tibique morem geram, quam ut quicquam mihi ab adverſario fortiſſimo gloriolæ captem.

Principio illud velim animadvertas Vir optime ac φιλαλήθης duplex Auguſtini adverſus Donatiſtas ſyſtema abſolutum, atque hypotheticum a Declarationis Gallicanæ Defenſore nihil quicquam fuiſſe perſpectum; mihi vero certum eſt utrumque perſequi ad Auguſtini mentem aſſequendam de Concilii Plenarii neceſſitate in cauſſa Cypriani. Sed antea libet Defenſoris argumentationem adamuſſim exſcribere, quo commodius eruditi Lectores reſponſiones meas cum illius ar-

gumentatione conferre queant, quodve æquum eſt judicare. En textus Par. 2. lib. 14. cap. 3.
„ pag. 262. " Quid quod Auguſtinus aperte ex-
„ cuſandum putavit Cyprianum, qui erraſſet,
„ antequam obſcura quæſtio *tantis altercationum*
„ *nebulis involuta ad plenarii Concilii auctorita-*
„ *tem, roburque perducta eſt*? Ergo exiſtimabat
„ ad captivandum intellectum, Stephani Papæ
„ decretum, atque auctoritatem non ſuffeciſſe
„ ſolum. Quin ipſe Auguſtinus vere de hæreti-
„ corum baptiſmo doctrinæ aſſertor egregius,
„ quod ad auctoritatem pontificii decreti attinet,
„ Cypriani ſententiam aperte ſequitur: *Neque*
„ *nos*, [inquit] *tale aliquid auderemus aſſerere,*
„ *quale Stephanus juſſit, niſi Eccleſiæ Catholicæ*
„ *concordiſſima auctoritate firmati: Cui & ipſe*
„ *ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas*
„ *eliquata per plenarium Concilium ſolidaretur*.
„ Cui auctoritati Cyprianus ex certiſſima fide
„ ceſſurus fuiſſet, cui Auguſtinus ipſe in re ob-
„ ſcura cederet, verba demonſtrant, nempe
„ *Eccleſiæ Catholicæ concordiſſimæ auctoritati*,
„ *Concilio plenario* ex orbe Chriſtiano, ut ſem-
„ per inculcat: vel ut idem loquitur *ſancto Con-*
„ *cilio cunctarum gentium*, ad id provocat poſt
„ ipſum pontificale decretum, in eoque acquie-
„ ſcit. „ Hæc Defenſor Declarationis Gallicanæ. Nunc ad hujuſce in ſpeciem firmiſſimi argumenti confutationem accedo; eamque primo viam inibo, quæ hypothetico Auguſtini ſyſtemati ſubſerviat, & Auguſtinianam argumentatio-

nem eo ducat, quo ducenda eſt. Poſt in eam me dabo, quæ ad abſolutum ejuſdem maximi Doctoris ſyſtema propius accedit.

Neutiquam igitur fieri potuit, ut quiſquam ex hypotheſi tam firmum ad probandum eruat argumentum, quin inde quicquam incongruens conſequatur. Nam ex theſi quæ falſum aſſumit in hypotheſi, dignoſcitur quidem verum abſolute; ſed ſi abſolute falſum aſſumitur, & falſum abſolute conſequitur, uti jam probavi Axiom. I. ad Syſtema S. Auguſtini. Qua re adnotata, antequam hypotheſin aperio, id velim obſerves Cenſor æquiſſime, nodum hunc tam implexum, tamque arctum more herculeo a me explicitum fuiſſe in priori diſſertatione a pag. 49. ad pag. 86. tum, cum judicium plenarium, cui S. Cyprianus acquieviſſet non Nicænum, ſed Arelatenſe I. fuiſſe, non probavi ſolum, verumetiam, (niſi me valde amo) mathematice demonſtravi. Animadvertit ſagaciſſimus ille Gallicanus Apologiſta, quantum ſuſceptæ defenſioni negocii faceſſeret eorum ſententia, qui implexum Auguſtini locum ad Concilium Arelatenſe I. traducunt. Icciрco peculiari capite rem pertractavit, ut verius loquar, percurrit; nam una & altera, eademque non gravi conjectura, quam pauciſſimis verbis complexus eſt; neque id ſine magno aſtu quod probe videret, quam periculoſa foret longior inquiſitio. Quamobrem de induſtria quæſtionem contraxit, & ne in tanta doctiſſimorum hominum contentione ſpiritus remiſiſſe videretur animoſius, quam ſatius poſitionem illam ita concludit: "Ut ut ſit

„ qui tantum Arelatenſi tribuunt, in eam aucto-
„ ritatem conſenſione deveniſſe dicent, gallicanamque ſententiam de conſenſionis ſumma, & ineluctabili auctoritate confirmabunt.„

Nunc cominus agendum cum hoſte acerrimo, atque fortiſſimo. Aſtruit ille plenarii Concilii neceſſitatem propterea quod Auguſtinus *aperte excuſandum putavit Cyprianum, qui erraſſet, antequam obſcura quæſtio tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta eſt*. Verum enimvero nihil quicquam derogat ſummæ Romani Pontificis auctoritati laudatus Auguſtini locus, cum doctiſſimus Defenſor multo apertius duo, quæ Auguſtinus adverſus Donatiſtas ſyſtemata aſſumit, abſolutum, atque hypotheticum miſere permiſceat, neſcio an etiam doloſe. Agit hic Auguſtinus de Concilio Arelatenſi concedendo, & connivendo Donatiſtis, qui ab judicio Melchiadis ad plenarium Concilium ſibi a Conſtantino Arelati conceſſum provocaverant, ex conſequenti hypotheticum ſyſtema perſequitur, non abſolutum. Nam quid aliud proponendum fuit hominibus pertinaciſſimis, quam hypotheticum Cypriani exemplum, in quo ſibi tantopere blandiebantur? illi etenim Catholicis *obiicere ſolebant Cypriani litteras, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium*, ut capite proxime præcedenti huic cap. 4. Unde id colligit quod erat ratione conſequens, videlicet: Cyprianus, vobis Donatiſtis ajentibus, non acquievit Stephani Decreto in cauſſa rebaptiſmi; propterea vos Donatiſtæ non acquieſcitis Melchiadis

decre-

decreto, & plenarium Concilium appellatis in eadem cauſſa. Datum eſt vobis apud Arelatem maius judicium Epiſcoporum, a quo damnati eſtis, cui ob id nihilo magis acquieſcitis; ergo impudentiſſime ad Cyprianum confugitis; nam ſi Cyprianus, qui veſtro quidem iudicio Romani Pontificis ſententiæ non obtemperavit, eo tempore ſuperſtes fuiſſet, quo per plenarium Concilium Hæreticorum baptiſmus receptus fuit, cenſetiſne tam vecordem tam pervicacem Cyprianum futurum fuiſſe, ut ſumma impudentia Concilio ipſi plenario refragaretur? Verum quum ad abſolutum ſyſtema ſeſe Auguſtinus convertit, audi quam libere, quam dilucide ſe ſe exſerat Epiſt. XLIII. ad Eleuſ. *Dedit ille* (ſubde Conſtantinus) *aliud Arelatenſe judicium, aliorum ſcilicet Epiſcoporum, NON QUIA JAM NECESSE ERAT, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere*. Audin tu illum? *NON QUIA JAM NECESSE ERAT* ſed eorum perverſitatibus cedens; ergo Areletenſis Concilii iudicium non neceſſitatis fuit, ſed conniventiæ, non ad ultimam ferendam ſententiam, ſed ad pleniorem; quippe ultima ſententia prolata fuerat per Melchiadem in Concilio Romano, quam illuſtri præconio Auguſtinus exornat cap. 5. eiuſdem Epiſtolæ *& tamen qualis ipſius Beati Melchiadis ultima eſt prolata ſententia, quam innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica.... O Virum optimum o Filium Chriſtianæ pacis, & Patrem Chriſtianæ Plebis!*

Di-

Dicat quis: non eam eſſe Auguſtini mentem, quæ Hæreticorum baptiſmi ratihabitionem aſtruat, ſed quæ Cæciliani purgationem in Synodo Romana ſancitam vendicet iure meritoque, ac proinde Arelatenſis Concilii neceſſitatis inficiatio non jus ſpectare, ſed factum. Verum tamentſi id permittimus, in Concilio Romano ſolam Cæciliani cauſſam, non ratihabitionis baptiſmi Hæreticorum pertractatam fuiſſe, non illud continuo conſequitur, Auguſtino auctore irritam non eſſe provocationem a Papæ judicio ad Concilium in cauſſa Fidei, quemadmodum perſpicuo ejuſdem Auguſtini judicio ſupervacanea foret in cauſſa meri facti. Nam ſi in facto non liceat, quod ſatius, ac dilucidius a pluribus, quam ab uno, ſive a paucis dignoſci videtur, qui tandem liceat in quæſtione dogmatica, in qua ne ipſe quidem Defenſor Apoſtolicam Sedem errare poſſe ominatur? Sed illud maxime in præſentia advertendum occurrit, unum Cæciliani factum ſingulare, idemque maximum fuiſſe Donatianæ hæreſeos firmamentum. Qua accuſatione rejecta, nullus Donatiano Schiſmati reliquus erat locus. Ad hæc accedit ipſius Defenſoris ſententia Cap. X. ejuſdem libri perſpicue affirmantis, *non tantum Fidei cauſſam, ſed etiam alias, quæ univerſalem ſpectarent Eccleſiam, ab univerſali Concilio retractandas eſſe, nec niſi conſenſione Orbis finitas eſſe credi.* Ex qua poſitione recte illud conſequens eſt, ſi Auguſtini judicio inanis ſit Concilii plenarii retractatio poſt Papæ judicium in facti quæſtione,

ne,

ne continuo, & inanem habendam eſſe in Fidei cauſſa. Nunc ad falſum huiſce thematis propoſitum confirmandum, quid affert Defenſor Declarationis, quod elumbe non ſit, quod non miſerrimum, quod non uſquequaque contortum? Cæciliani ſcilicet cauſſam adducit, *quæ cum tractata eſſet a Melchiade Papa, ejuſque judicio Donatiſtæ victi eſſent, tamen hæc ait Auguſtinus* eadem epiſt. 43. *Ecce putemus omnes Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, ubi etiam cum ipſis Judicibus cauſſa poſſet agitari, ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur*. Spectate hominis confidentiam. *Ecce putemus... non bonos Judices fuiſſe, reſtabat adhuc &c.* ergo ex Auguſtini mente licet a Papa ad Concilium provocare. Macte ingenio, macte prudentia, Gallicane Defenſor, Clavam Herculi extorſiſti! Nunc me accipe hoc ipſum argumentum recudentem, atque invertentem. Et ipſe Cæciliani cauſſam in medium adduco, quæ cum tractata eſſet a Concilio plenario Arelatenſi, hujuſque judicio Donatiſtæ convicti eſſent, tamen hæc ait Auguſtinus Epiſt. 105. ad Donat. cap. 2. num. 8. *Iterum tamen clementiſſimus Imperator alios Judices Epiſcopos dedit apud Arelatum Galliæ Civitatem, & ab ipſis veſtri ad ipſum Imperatorem appellarunt; donec etiam ipſe cauſſam cognoſceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumnioſos appellaret*. Ergo ex Auguſtini mente licet a Concilio ad Imperatorem appellare? Quid hic

reclamas malæ cauſſæ non bone Defenſor? Quid amplius roboris habet argumentatio illa tua quam mea? Utraque ex Auguſtino ducta eſt, utraque eamdem cauſſam ſpectat, utraque appellationem, utraque eoſdem reos, eoſdemque actores, ſed tua eoſdem pene Judices, mea longe alios, & ſingularem. Donatiſtas enim a Papæ judicio ad Concilium plenarium provocaſſe, neque ipſi quidem docent Noriſius, ac Tillemontius; a Concilio vero ad Imperatorem appellaſſe perſpectiſſimum eſt; ſed utrumque judicium poſt *ULTIMAM* prolatam a Melchiade Papa ſententiam ſupervacaneum fuit, non neceſſarium. Audi iterum Auguſtinum. *Dedit ille aliud Arelatenſe judicium .... non quod jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cobibere*. Hypotheticum quidem S. Auguſtini ſyſtema per inconſiderantiam, & communiſſima credulitate abreptus ignorare potuiſti, ſed hanc abſolutam Auguſtini poſitionem, quæ ad rerum geſtarum accuratam cognitionem pertinet, quo tandem pacto diſſimulare potuiſti, perinde ac ſi nulla fuiſſet? Quin & Auguſtini hypotheſin abs te modo adductam qui potuiſti diſſimulare, quandoquidem panditur ipſis ejuſdem ſententiæ prioribus verbis? *Ecce putemus* [inquit] *omnes Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium*. Reſtabat adhuc ſub ea hypotheſi, quod male judicaſſent: at ſi bene judicarunt, jam non amplius reſta-

reſtabat plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium. Quid tu ex falſo, quod aſſumitur in hypotheſi, conſecutionem eruis abſolutam?

Quod ſi propoſita hypothetica tanti tibi ſunt, quanti eſſe deberent abſoluta, jam duæ reliquæ ſunt Auguſtini hypotheſes in hac ipſa cauſſa de baptiſmo adverſus Donatiſtas. Harum prior ea eſt, quæ continetur lib. I. cont. Donat. cap. 1, ubi ſummatim recolligens quæ ante dixerat totis tribus libris contra Epiſtolam Parmeniani, ſic habet. *Sicut autem baptizatus, ſi ab unitate receſſerit, ſacramentum baptiſmi non amittit; ſic etiam ordinatus ſi ab unitate receſſerit, ſacramentum dandi baptiſmi non amittit... Sicut ergo acceptatur baptiſmus, quem non potuit amittere qui ab unitate diſceſſit, ſic acceptandus eſt baptiſmus, quem dedit ille, qui ſacramentum dandi cum diſcederet non amiſerat.* Hic jam quæro: Auguſtinus abſolute loquitur an in hypotheſi? Si abſolute; ergo Auguſtini ſententia eſt, ſolos Diaconos, & Præsbyteros baptiſmum conferre poſſe: Si in hypotheſi, certe ex hypotheſi Donatiſtarum. Duplex autem ſecundum Donatiſtas hypotheſis ſubeſſe poſſe videtur. Altera, neminem præter ſolos Ordinatos idoneum eſſe baptiſmi miniſtrum; altera, Sacerdotes a Traditoribus ordinatos veluti pollutos neutiquam idoneos eſſe baptiſmi Miniſtros. Porro illa incognita fuit Donatiſtis, hæc non item. Auguſtinus tamen Donatiſtarum ſuppoſitionibus ad ſolam Cæciliani ordinationem irritam faciendam accommodatis, perpetuo ſubſer-

viens, ita hic agit perinde ac ſi baptiſmi collatio ad ſolos ſpectaret Ordinatos. Nunc ſi quis ita concludat: ergo Auguſtinus ſaltem in hypotheſi exiſtimavit, ſolos Ordinatos idoneos eſſe baptiſmi diſpenſatores: quid porro? an etiam vere? Quid igitur reponendum ſupereſt, niſi id, quod rei fert natura? Auguſtinum ſcilicet hypotheſin ſuam facto accommodaſſe, propterea quod Donatiſtæ Cæciliani ordinationem manibus pedibuſque obnixe oppugnarent; quod ut aſſequerentur, irrite ordinatum pronunciant, ac proinde irrite baptizatos ab irrite ordinato. Succurrit & altera hypotheſis lib.7. de Bapt. cont. Donat. cap.54. *Si enim* [inquit] *mali bonos in unitate contaminant, nullam jam Eccleſiam, cui ſociaretur vel ipſe Cyprianus invenit*. An quiſquam jure hinc argumentetur Eccleſiam Chriſti contaminari poſſe? Nemo profecto, cui ſenſus communis contaminatus non ſit.

Equidem exiſtimo, Gallicanum Defenſorem ſi hypotheticum. Auguſtini ſyſtema adverſus Donatiſtas introſpexiſſet, ab hujuſce Auguſtiniani loci tractatione fuiſſe temperaturum. Quod ſi pergis Vir oculatiſſime ſecus conijcere, pronum mihi eſt Gallicanum Diſputatorem in anguſtum redigere. Tria ille ſupponit. Primum, Auguſtinum loco ſuperius adducto agere de Concilio plenario. Tum per hoc plenarium Concilium nonniſi Nicænum indigitari. Deinde quæſtionem de hæreticorum baptiſmo, ne ab ipſo quidem Cypriano, ejuſque Col-

legis

legis adiaphoram creditam fuiſſe. Nunc vacat adverſus Defenſorem hoc argumentum conficere. Auguſtinus integrum illud argumentum, quo coniicit Cyprianum plenario Concilio fuiſſe ceſſurum, duobus capitibus complectitur lib.2. cont. Donat. tertio, & quarto. Ibi theſim collocat de Concilii plenarii auctoritate, hic aſſumtionem probat de Cypriani docilitate. Theſim proinde ſic ſtatuit. *Vos certe nobis obiicere ſoletis Cypriani literas .... Quis autem neſciat .... Epiſcoporum. literas, quæ poſt confirmatum canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem forte ſapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum graviorem auctoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis forte a veritate deviatum eſt; & ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo Orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus cedere, ipſaque plenaria ſæpe priora a poſterioribus emendari, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & convincitur quod latebat?* Ergo exiſtimavit Auguſtinus plenarium Concilium errare potuiſſe, atque adeo ſæpe erraſſe; atque ita plenaria Concilia priora a poſterioribus fuiſſe emendata, quemadmodum provincialia a generalibus, & Epiſcoporum literæ, ac ſententiæ a provincialibus correctæ fuerunt, *ſi quid forte a veritate deviatum eſt*. Hinc alterutrum neceſſario conſequatur oportet: Aut plenarii Concilii ideam,

quam ſibi Noſtrates efformant auguſtinianæ non reſpondere, præſertim quum Auguſtino ſuperſtite duo ut maxime plenaria Concilia vel ipſius Defenſoris judicio ſint celebrata, Arelatenſe, ac Nicænum: (Horum vero utrum, ſive etiam utrumque in fide erraſſe quiſnam putet niſi purus, putuſque Donatiſta, vel Arianus?) Aut ſi eadem fuerit, minime detuliſſe Auguſtinum Concilio plenario, cui Gallicanæ Declarationis conditores deferunt omnia ſumma. Neque illud ſuſpicor ejuſdem Declarationis Defenſorem ad quæſtionem Diſciplinæ ſe recepturum, quando ipſe quidem pluribus probat, quæſtionem Cyprianicam neutiquam ad adiaphoras referri poſſe; indignum deinde eſſet ſapientia, atque ingenuitate Auguſtini ad fidei quæſtionem confirmandam, theſim adiaphoram aſſumere. Verum enimvero niſi ad hypotheſin confugiunt, Æthiopem lavant. Sed hæc hactenus.

Nunc ab hypothetico ad abſolutum ſyſtema, & ad alterum, quod proxime conſequitur, caput, ad quartum inquam Lib. II. cont. Donat. accedo, in quo palmarem probationem Gallicanus Defenſor ſeſe deprehendiſſe autumat, ad inficiandum irreformabile Romani Pontificis judicium, & ad aſtruendam ſummam, atque ultimam Concilii Œcumenici in fidei, & diſciplinæ quæſtionibus poteſtatem. Profecto ſi textum auguſtinianum perinde atque ille adduxit adducerem; næ ipſe incederem per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Præſtat itaque integram Auguſtini ſum-

ſumtionem exſcribere, dein per partes explanare. En Textus.

Quapropter S. Cyprianus, tanto excelſior quanto humilior, qui documentum Petri ſic amavit, „ ut diceret, " documentum ſcilicet nobis, & „ patientiæ, & concordiæ tribuens, ut non per-„ tinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando „ a Fratribus, & Collegis noſtris utiliter, & „ ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legi-„ tima, ipſa potius noſtra ducamus „ *: ſatis oſtendit, facillime ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent: unde multa jam diximus. Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati; cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur. Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno poſteriore Collega patienter, concorditerque correctum, quanto citius ipſe cum Concilio Provinciæ ſuæ univerſi Orbis auctoritati patefacta veritate ceſſiſſet? quin profecto & uni verum dicenti, & demonſtranti poſſet facillime conſentire tam ſancta anima, tam pacata: & fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus. Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, literiſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus. Quomodo enim potuit iſta res tantis altercationum nebulis* in-

involuta ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem, confirmationemque perduci, niſi primo diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc, atque hinc diſputationibus, & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret? Hæc Auguſtinus, nunc ſingula percurramus, atque expendamus.

Satis oſtendit, facillime ſe correcturum fuiſſe ſententiam ſuam. Facillime quidem, ſed non certe, quod ex ſententia magis Donatiſtarum, quam Auguſtini pronunciatum eſt, quod Donatiſtæ Cyprianum ſimulationis arguerent in ea adteſtatione, quæ habetur in præfatione ad Concilium Carthaginienſe.

Si quis ei demonſtraret, baptiſmum Chriſti &c. unde multa jam diximus. Sub ea incerta Perſona, quæ Cypriano hanc theſim demonſtraret, Auguſtinus opportune ſeipſum deſignat, qui ſatis ſuperque idipſum Donatiſtis demonſtraverat. Sub Cypriani vero Perſona, qui facillime ſententiam ſuam correxiſſet, ſi quis hoc ipſum ei demonſtraret, tacito Donatiſtæ objurgantur, quibus toties, tamque valide ab Auguſtino convictis, nedum facile corrigi potuit ſententia ſua, ſed & debuit ob ſemel, atque iterum interpoſitam Eccleſiæ definitionem.

Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere niſi &c. Donatianæ impudentiæ Catholicorum temperantiam opponit, qui non privati cujuſpiam Doctoris demonſtratione, ſed concordiſſima univerſæ Eccleſiæ auctoritate hoc affirmabant. Verba

ba illa *quale Stephanus juſſit* temere, & ad rem ſuam agendam ab Defenſore inſerta ſunt; quæ neſcio Auctoris vafritia, an glutinatoris inconſiderantia Auguſtiniano textui intruſa fuerint; quæ proinde duplici parentheſi comprehendenda fuerant, aliiſque characteribus conſignanda.

Niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati. Quid ad hæc Defenſor Declarationis Gallicanæ? *Cui auctoritati* (inquit ille) *Cyprianus ex certiſſima fide ceſſurus fuiſſet, cui Auguſtinus ipſe in re obſcura cederet, verba demonſtrant, nempe Eccleſiæ Catholicæ concordiſſimæ auctoritati CONCILIO PLENARIO*. Bene inceptum; melius progreſſum, peſſime concluſum. Quid eſt hoc monſtri? *nempe Eccleſiæ Catholicæ concordiſſimæ auctoritati, CONCILIO PLENARIO*. Hanc ego interpretationem tam ineptam, tam falſam, tam pernicioſam ſapientiſſimo Meldenſi Epiſcopo adjudicem? Ita ne vero, Gallicane Defenſor, concordiſſima Eccleſiæ auctoritas nil notat aliud, quam Concilium plenarium? Anne vides, anne ſentis, tuam iſtam interpretationem plura abſurda quam verba complecti? Verba quidem duo ſunt, alterum graviſſimum, uberrimum alterum, *Concilium plenarium*; Sed abſurda, quæ inde conſequuntur tria ego ut minimum deprehendo: primum hæreticum, ſecundum blaſphemum, tertium calumnioſum. Nam ſi concordiſſima Eccleſiæ auctoritas Concilio plenario omnino definiatur, primum illud conſequens eſt, ante Nicæni Concilii celebrationem (ut prætercam

 Are-

Arelatenſe) Eccleſiæ Catholicæ defuiſſe concordiſſimam auctoritatem : quod ſi ais, jam negas Catholicam, & hoc eſt hæreticum. Tum hoc alterum; Stephani ſententiam totque millium Epiſcoporum, ut Auguſtinus ait, qui Stephanum iuxta ſentiebant, Auguſtino enimvero temerariam viſam fuiſſe, eo quod abſque Concilii plenarii auctoritate id auſi fuiſſent aſſerere, quod ipſe minime fuiſſet auſus; & hoc eſt blaſphemum. Deinde & alterum illud conſequitur, Auguſtinum, tum quum Patres Concilii Carthaginienſis ſingulatim, ſtrenueque refutat, atque adeo objurgat, irridetque, non ſerio id agere, ſed neque honeſte, quod omnino excuſandi, fortaſſe etiam laudandi eſſent, qui plenarii Concilii robore deſtituti, neque concordiſſima ejuſdem auctoritate adacti, ſuam cauſſam dicerent: & hoc eſt calumnioſum. Uſque adeo ſtudio partium abriperis, ut dialecticas præceptiones aut obliviſcaris, aut negligas; nam te illas ignorare non ajo, ſed neque opinor. Neglexiſti autem, quin & invertiſti; nam genus a ſpecie non diſcreviſti, quandoquidem Eccleſiæ Catholicæ auctoritas multimodis concordiſſima eſt. Tum primo in ea Traditione, qua ſacros libros divinitus inſpiratos credimus, atque conſcriptos; tum in eorumdem explicatione; tum etiam in iis, quæ ab Apoſtolis, jubente Domino, ejuſque Spiritu ſuggerente, tradita ſunt; tum in iis item, quæ ab Apoſtolica Sede declarata ſunt, atque præcepta; tum in iis tandem quæ in Conciliis Oecumenicis ſunt defi-

definita. Quid ergo iſtuc, quod cum Eccleſiæ Catholicæ concordiſſima auctoritas plenariis Conciliis nonniſi poſtremo loco conveniat, temporum ratione ſic poſtulante, tu ad primarium traduxiſti? quid dixi ad primarium? ad ſingularem, ad unicum. Tantæ ne molis erat *concordiſſimam* illam *univerſæ Eccleſiæ auctoritatem* ita, ut par erat, interpretari, ut etiamſi cetera, & quæ ad cauſſam, & quæ ad Fidem pertinebant, ignorarentur, ex ſola Auguſtinianæ dictionis ſtructura dignoſci nequiret? Age porro, recita Auguſtini textum: *nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati*. Perge: *Cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur*. Nunc ſine me grammaticum agere, quandoquidem ſic facto opus eſt. Quæro abs te quodnam ſit nomen antecedens illius relativi *Cui*? Reſpondes *auctoritas concordiſſima*. Probe; ecquando Cyprianus Auguſtini judicio cederet concordiſſimæ illi auctoritati? quando veritas jam antea eliquata, & declarata per Concilium plenarium ſolidaretur. Optime; ergo concordiſſima illa auctoritas Auguſtini judicio quid diſſitum plane eſt, atque alienum a Concilio plenario, propterea quod Cyprianus fortaſſe ei auctoritati non cederet, niſi a plenario Concilio veritas, quam illa præferebat, confirmaretur; ergo ea auctoritas tantum diſtat a Concilio plenario, quantum qui longe antea veritatem primo proponit ab eo di-

 ſtat,

ſtat, qui longe poſt eamdem veritatem confirmat. Num fingo? Num torqueo Auguſtini mentem? Hanc vero cum iis, quæ ad Fidem ſpectant contulimus, nunc cum iis, quæ ad cauſſam attinent, conferamus. Quid a Catholicis perpetuo Donatiſtis objiciebatur; *Traditio Apoſtolica*, quæ vulgato nomine *Conſuetudo* non modo ab hæreticis, verum etiam a Catholicis appellabatur. Conſuetudinem itaque deſignavit, *univerſalem*, *robuſtamque*, uti eam vocitat cap. 8. ejuſdem libri, & *ſaluberrimam* cap. 7., & cap. 9. *Nondum autem factum erat Concilium, quia conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem*. Audin? *ſola conſuetudo opponebatur*, quod hæc ſola præferret Catholicæ Eccleſiæ concordiſſimam auctoritatem; nam ea ſola tenebatur *Orbis Terrarum*. Quibus vero opponebatur? nimirum iis, quibus rationum momentis veritas explanari non poterat; ſive quod hebetes eſſent, ſive quod paullo acutiores quam ſinat chriſtiana ſimplicitas, atque docilitas; ſive tandem quod ii, qui veritatem aperire conabantur, ob nimiam quæſtionis obſcuritatem identidem hærebant; ſicque diffitentium animos confirmabant. His profecto, *quia non poterant apprehendere veritatem*. . . *ſola opponebatur conſuetudo, quia conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum*. . . *Poſtea tamen* [ſubdit e veſtigio] *dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non ſolum inventa*

eſt

eſt veritas, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta eſt. En concordiſſima illa auctoritas, quæ per plenarium Concilium ſolidata fuit. *CONSUETUDO* ſcilicet *univerſalis, atque robuſta: cujus robore tenebatur Orbis terrarum; quæ ſola opponebatur inducere volentibus novitatem, quippe quæ ſola etiam eam veritatem proponeret, quæ poſtea ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta eſt*; nimirum ratum firmumque eſſe hæreticorum baptiſmum; qui tamen nec ratus, nec firmus fuiſſet Auguſtino, ceteriſque Catholicis, niſi *univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmarentur*; hoc eſt niſi *univerſalis conſuetudinis robore tenerentur*. Poſtremo ſatis, ſuperque perſpecta eſt illa Auguſtini ſententia lib. 4. cont. Don. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Quæ ſententia cum altera poſterioris libri cap. 23. conferenda eſt, ſic autem habet: *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum Traditione exordium ſumſiſſe credenda eſt; & ſicut multa, quæ tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiuntur*. Ergo hæreticorum baptiſmus hac primum ratione ab Auguſtino adverſus Donatiſtas vendicabatur, quod *ab Apoſtolis traditus rectiſſime creditus eſt*. Cur autem ab Apoſtolis traditus credebatur? propterea quod eumdem baptiſmum *univerſa teneret Eccleſia*. Hic jam quæro quid interſit inter

 illa

illa priora verba : *Univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate*, & poſteriora *univerſa tenet Eccleſia*? Certa non re, ſed vix, aut ne vix quidem verbo differunt; utrobique enim par agitur cauſſa, utrobique Donatiſtarum pervicacia oppugnatur, utrobique hæreticoum baptiſmus aſſeritur; ac tandem Apoſtolica Traditio per univerſalem, robuſtamque conſuetudinem indicata proponitur, non *Concilium Plenarium*.

Si jam illo tempore veritas eliquata, *& declarata*: Ergo jam illo tempore Cyprianico ante quodcunque plenarium Concilium veritas illa de recipiendo hæreticorum baptiſmo eliquata fuerat, & declarata; ergo non erat ea quæſtio magnis altercationum nebulis involuta. Quod ſi eliquata, & declarata, jam tum Cyprianus, qui facillime cuiquam id ſibi demonſtranti ceſſiſſet, eliquandi, & declarandi poteſtatem habenti, atque adeo eliquanti, & declaranti certiſſime ceſſiſſet, quin & neceſſario. Quis vero eliquandi, & declarandi, eo tempore poteſtatem haberet præterquam ille, cui jus erat præcipiendi? Atqui unus Stephanus Auguſtino judice præcipiendi jus habuit, unus Stephanus *præcepit*; unus igitur Stephanus eliquavit, & declaravit; idemque unus Apoſtolicam Traditionem aſſeruit, præterea nemo. Quod ſi Stephanus præcipiendi jus habuit, quidni Cyprianus debitum haberet obtemperandi? Quod ſi veritatem eliquanti, & declaranti non paruit, non injuria contumaciæ reum dicito. Ecquis prudens, & cordatus exiſtimet, Auguſtinum

ſtinum ſerio hæc de Cypriano ominari? Annon connivet Donatiſtis imaginario illo Cyprianico exemplo uſquequaque abutentibus? Dicat quis: veritatem hanc de non irrito faciendo hæreticorum baptiſmo, per ſolum plenarium Concilium eliquatam fuiſſe, ac declaratam. Sed præterquam quod repugnat Auguſtinianæ dictionis contextus, in quo a *plenario Concilio ſolidata* dumtaxat aſtruitur, & longe ante Concilium *eliquata, & declarata*, ſuccurrit & alter Auguſtini locus cap. 7; ejuſdem libri, ubi hæc de recepto hæreticorum baptiſmo. *Poſtea vero dum inter multos ex utraque parte tractatur, non ſolum inventa eſt veritas, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta eſt*; veritas itaque inventa eſt ante plenarium Concilium, nec ſolum inventa, ſed & *eliquata*, & *declarata*. Optime Auguſtini mentem percepit Gallicanus Apologiſta, qui hanc ſententiam detruncavit, vocemque illam *DECLARATA* doloſe, atque adeo perfide detraxit, quod animadverterit Vir ita callidus, ut doctus, una hac *declaratione* divinationem ſuam de Auguſtini ſuper Cypriano judicio, nedum convinci, ſed & peſſumdari.

Cui & ipſe ſine dubio cederet ... ſi veritas ... per plenarium Concilium ſolidaretur. Nil appoſitius dici potuit ad culpandam Donatiſtarum contumaciam, quippe qui a plenario Concilio ad Imperatorem provocaverant, cui deerat eliquandi, & declarandi poteſtas. Veritas vero per Stephanum eliquata, & declarata per plenarium Concilium ſoli-

ſolidatur, non declaratur, confirmatur, non definitur. Huic igitur confirmationi Cyprianus, qui facillime privato cuiquam Doctori verum demonſtranti cederet, ſine dubio ceſſiſſet. Quod ſi Donatiſtis ajentibus Stephano non ceſſit, Auguſtino Catholice de Cypriano ſentiente, Concilio plenario ceſſiſſet. Nam quid aliud Auguſtino propoſitum erat, quam eo Donatiſtas adducere, ut qui Meltiadis decreto non acquieviſſent, Concilii plenarii confirmationi, tandem aliquando acquieſcerent; quod nullum præterea in Eccleſia Catholica reliquum eſſet judicium, quo ea cauſſa dignoſci, ac finiri poſſet? Pone vero Cypriano ſuperſtite habitum fuiſſeConcilium plenarium, cenſeſne Donatiſtas continuo id conceſſuros, Cyprianum ei Concilio quamquam plenario ceſſiſſe? Minime gentium. Tunc enimvero Auguſtino quidpiam aliud fingendum fuerat, quo Donatiſtas utcumque convinceret. Num propterea quis jure colligeret ex Auguſtini mente, Concilium plenarium ſufficiens non fuiſſe ad captivandum Cypriani intellectum, ſed remedium illud inuſitatum, atque inauditum omnino neceſſarium eſſe, quod Auguſtinus excogitaſſet? Anne ſentiunt qui ſic ominantur, ſuam hanc divinationem nonnihil in Auguſtinum fingentem injurioſam eſſe, quod ex iis ſuppoſitionibus, quæ Auguſtino ſemper invito, nec ſemel indignanti ad pertinaciſſimos Donatiſtas evincendos creberrime uſurpandæ fuerunt, id eruant, quod antiquam fidem commaculat, quod profanas vocum novi-

ta-

tates inducit, quod turbas excitat, quod fovet ſchiſma, quod contumaciæ patrocinatur?

Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno po-ſteriore Collega patienter, concorditerque correctum, quantocitius ipſe cum Concilio Provinciæ ſuæ univerſi Orbis auctoritati patefacta veritate ceſſiſſet? Videtur hoc loco multo clarius, quam ſuperiori Concilium plenarium indigitari, quod tametſi permittimus, nihil adverſum nos creatur incommodi; nam quod genus notat appoſite, atque etiam vere uni, & alteri aptatur ſpeciei. Verumtamen ſi ſedulo & hunc expendamus locum, nullo negocio comperiemus, Conſuetudinem hic ſeu Traditiones, non plenarium Concilium deſignari. Dicitur ſiquidem, Cyprianus univerſi Orbis auctoritati non *ſine dubio*, ut Concilio, ſed *quantocitius* fuiſſe ceſſurus; neque id aſſeverando, ſed conjiciendo, tum quod *tam ſancta anima eſſet, tamque pacata*; quod autem ſubdit: *Et fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus*, apertiſſime *conſuetudinem* deſignat, cui Cyprianum tandem aliquando ceſſiſſe autumat, ſed an factum ſit ignoret, eo quod *non omnia, quæ eo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ, literiſque mandari potuerunt, aut omnia quæ mandata ſunt innoteſcunt*. Quod ſi factum eſt, aut fieri potuit, ut *Cyprianus cum Concilio ſuo univerſi Orbis auctoritati*, aut ceſſerit, aut cederet, jam id ſit ratione conſequens, concordiſſima illa univerſi Orbis auctoritate, neutiquam Concilium plenarium deſignari, quod Cyprianicis temporibus

nedum factum non ſit, ſed veroſimilius nec fieri potuerit, ſed ſolam conſuetudinem deſignari, *cujus robore tenebatur Orbis terrarum .... quæ ſola opponebatur inducere volentibus novitatem ... quæ ab Apoſtolorum Traditione exordium ſumſiſſe credenda eſt*.

Quia profecto & uni verum demonſtranti poſſet facillime conſentire tam ſancta anima, tam pacata. Ex adjunctis Perſonæ ſenſim Auguſtinus, ſatiſque valide, atque opportune id concludit, Cyprianum aut nunquam rebaptiſmo aſſenſiſſe, aut tandem aliquando rebaptiſmum ejuraſſe. Nam qui facillime uni verum demonſtranti ceſſiſſet, cur tam ſancta anima, tam pacata Stephano non cederet Apoſtolorum Traditionem objicienti, quæ una eademque traditio rata firmaque fuit trium Conciliorum Patribus Arelatenſis, Nicæni, & CP.ni I? Num harumce Synodorum Antiſtites ſanctiores erant, ac pacatiores Cypriano? Intelligitne Gallicanus Defenſor, Auguſtinum ejuſmodi animadverſione Donatianæ hypotheſi accommodata, nil quidpiam aliud innuere voluiſſe, quam Cypriani palinodiam poſt acceptum Stephani decretum?

Et fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus. Aperte hic Auguſtinus ab eo, quod fieri potuit ad factum deflectit, etſi dubitanter hoc aſtruit, hæc tamen Auguſtini dubitatio id efficit, ne Donatiſtæ tutiſſime Cypriani retractationem denegarent. Dein quod ſe id neſcire fateatur, univerſum Cypriani factum de repudiato hæreticorum

baptiſ-

baptiſmo in dubium revocat; nam ſi reſciri potuiſſet Cypriani palinodia, jam tum factum liquido conſtaret.

Neque enim omnia, quæ illo tempore inter Epiſcos geſta ſunt, memoriæ literiſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt, novimus. Perſtat in confirmanda priori dubitatione, argumento vero admodum ſimili ex temporis adjunctis petito, & Cypriani repugnantiam Stephani decreto de induſtria in ſuſpicionem inanis credulitatis adducit.

Quomodo enim potuit iſta res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem, confirmationemque perduci, niſi primo diutius per Orbis terrarum regiones, multis hinc atque hinc diſputationibus, & collationibus Epiſcoporum pertractata conſtaret? Pergit ex rei adiunctis Cyprianicam palinodiam magis, magiſque vendicare; nam ſi cauſſa de hæreticorum baptiſmo ad Concilium plenarium perducta eſt, jam conſtitit ante Concilium per Epiſcoporum diſputationes, & collationes ultro, citroque habitas. Si conſtitit, nihil admodum intereſt, retractationem Cyprianicam memoriæ, literiſque mandatam non fuiſſe; ſed ſatis ſit conſtitiſſe; ergo facillime tam ſancta anima tam pacata patefactæ veritati conſenſit. Quam conſenſionem multo etiam firmius ita conjectat capite proxime ſequenti; *Quomodo accipere potuerit veritatem, contra id, quod ſentiebat inventam, etſi literæ tacent, merita clamant; ſi epiſtola non*

inveniter, corona teſtatur; ſi Concilium non indicat Epiſcoporum, conſortium indicat Angelorum. Annon Auguſtinus perſpicuis hiſce, validiſque conjectationibus eo Donatiſtas adducebat, ut, vellent nollent, alterutrum faterentur, Cyprianum aut non ſenſiſſe quod illi ajebant, aut retractaſſe quod ſenſit? ita enim inquit Epiſt. 93. *Porro autem Cyprianus aut non ſenſit omnino quod eum ſenſiſſe recitatis, aut poſtea correxit in regula veritatis*. Quid autem erat, quod Auguſtinus ejuſmodi conjecturas tam affabre circumduceret, circumductas concluderet, concluſaſque confirmaret, ſi ad Cypriani intellectum captivandum plenarium Concilium omnino neceſſarium fuiſſet? Sed Gallicani Defenſoris interpretatio, quæ incepta eſt a mendacio, deſiit in calumniam. Mirum quas ille turbas excitet, quem ſibi triumphum canat ob priora hujuſce ſententiæ verba *iſta res tantis altercationum nebulis involuta*: namque ita notat Part. II. lib. 14. cap. 2. fol. 259. *Synodus Oecumenica non aſſidue ſedet, nec niſi ex cauſſa, eaque rariſſima; neque ulla lex iubet, ullave conſuetudo, ut ad eam referantur quæcumque quæſtiones de magna quamvis re, ſed de re obſcura, ancipitique, ac magnis altercationum nebulis involuta, uti Auguſtinum ipſum exponentem audivimus, ac ſæpe audiemus*; pauſciſque interjectis hæc ſubdit. *Hinc Sancti Auguſtini verba de cauſ-„ſa Pelagiana*." An vero congregationi Synodi „opus erat; ut aperta pernicies damnaretur?„ *Vide quam diligenter dictum APERTA PERNI-*

NICIES. Ex qua duplici Auguſtini ſententia duo item conſequi arbitratur: Cypriani cauſſam jure quodam ſuo ad plenarium Concilium deferendam fuiſſe quod magnis eſſet *altercationum nebulis involuta*, non item Pelagianorum, quod apertam perniciem portenderet. Proh ſuperum, atque hominum fidem! Itane vero, Gallicane Defenſor, cenſuit Auguſtinus Cypriani cauſſam iccirco ad plenarium Concilium perducendam eſſe, quod magnis foret altercationum nebulis involuta? Quid ſi contra Auguſtinus apertiſſime pronunciaſſet, quæſtionem de rebaptiſmo iccirco ad plenarium Concilium deferendam non fuiſſe, quod nimis obſcura eſſet, quod magnis foret altercationum nebulis involuta? Recita. *Quomodo enim potuit iſta res tantis altercationnm nebulis involuta ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem confirmationemque perduci, niſi primo diutius per Orbis terrarum regiones multis hinc, atque hinc Diſputationibus & collectionibus Epiſcoporum pertractata conſtaret?* Ergo antequam ad plenarium Concilium perduceretur debuerunt & altercationes ceſſare, & nebulæ diſſipari; ergo, & ante Concili convocationem non aliquanto, ſed *diutius hinc*, *atque hinc* ab Epiſcopis pertractari debuit; neque in Africa tantum, ſed *per Orbis terrarum regiones* neque *diſputationibus* tantum, ſed *& collationibus Epiſcoporum*. Uno verbo quæſtiones obſcuræ non ſunt ad plenarium Concilium deferendæ antequam *conſtant*, antequam innoteſcunt, antequam ſunt *eliquatæ*, &

 de-

declaratæ; Quapropter vere, ac prudenter Adnotatores Maurini huic Auguſtini ſententiæ hanc notulam ad marginem appoſuerunt: *Obſcuras quæſtiones non eſſe ſtatim ne in univerſali quidem Concilio decidendas*. Quam cautionem ratio ipſa ſuadet, nam ſi obſcuræ quæſtiones rudes, atque indigeſtæ ad Synodicum judicium deferantur, conciliaris convocationis finis propemodum fruſtraretur, & diuturnis, perniciosiſque diſſenſionibus tempus tereretur. Conſtitiſſe autem quæſtionem de rebaptiſmo, & ante Oecumenici Concilii luculentam illuſtrationem enodatam fuiſſe, & nubeculis, quibus obtegebatur, purgatam per maturas Epiſcoporum diſputationes, & collationes utrinque habitas, diſerte, atque abunde Auguſtinus profitetur, tum hoc ipſo capite quarto nunc explanato, ubi ęliquatam, & declaratam dicit, antequam a Concilio plenario confirmaretur; tum cap. 9. iis præſertim verbis: *Poſtea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non ſolum inventa eſt veritas, ſed etiam ad plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta*. Vide quam aperte dictum eſt. *NON SOLUM INVENTA EST VERITAS*. Ergo quæſtio de rebaptiſmo, quæ antequam ad plenarium Concilium perlata eſt, *eliquata* erat, *& declarata*, cujus *veritas* ante Concilium *inventa eſt*, non erat magnis altercationum nebulis involuta; quæ ſi fuiſſet *quomodo poterat ad Concilii plenarii luculentam illuſtrationem, confirmationemque perduci?*

Textu

Textu jam explanato nunc ad te Cenſor Optime verba, animumque converto. Sentiſne quanta ſit hujuſce Gallicani Scriptoris intemperantia, qui integrum hoc caput ad Stephanum retulerit, in quo Stephani decretum, ac Perſona ne quidem verbo tenus attiguntur? Intelligiſne quantum ſit pertinacis opinionis acumen, quo mira prædicat de plenario Concilio, tametſi de Concilio, quod nunquam extitit fingendo, & conjiciendo diſſerat Auguſtinus? Nimirum eorum hoc intereſt, qui ad præiudicatam ſententiam quo jure, quave injuria propugnandam, quæ perſpicua ſunt obumbrant, quæ recta contorquent, quæ innoxia commaculant. Hactenus confutationi inſtitimus, nobiſque tuendis. Quæ ſequuntur ad confirmandum attinent, Defenſoremque convincendum.

Perſpectam itaque, indubiamque Auguſtini ſententiam de certiſſimo, atque ineluctabili Romani Pontificis judicio etiam poſt interpoſitam ad plenarium Concilium provocationem, argumentis non multis, ſed uno, eodemque firmiſſimo Auguſtini pronunciato diſerte, valideque confirmabo. Ad Auguſtinum itaque Defenſorem Declarationis provoco, nempe ad maximum, atque integerrimum catholicæ veritatis aſſertorem. Præclara eſt ea Auguſtini ſententia *ſerm. de Verbis Apoſt. cap.* 10, præclariſſimoque Doctore digniſſima. *Jam enim de hac cauſſa duo Concilia* [alterum Carthaginienſe, Milevitanum alterum] *Romam miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam;*

inde

inde etiam reſcripta venerunt; *cauſſa finita eſt*. Hanc tamen ita apertam, dilucidamque Auguſtini mentem, mirum quali, quantaque caligine obducere conatur ingenioſiſſimus iſte Gallicanus Apologiſta. Duos ille mæandros pertentat, quos non modo planos, verumetiam rectos facere nititur. Namque ita ediſſerit, [ut ad ſummam ea omnia redigam, quæ fuſe perſequitur Part. II. lib. 14.] Quæſtionum, quæ ſine Synodo generali finiri poſſunt duplex eſt genus. Alterum earum quæ non ſunt de re obſcura, ancipitique, nec mangis altercationum nebulis involutæ, uti Auguſtinum ipſum exponentem audivimus. Alterum earum quas paucitas fovet Epiſcoporum. Utraque hæc ratio pelagianam cauſſam afficiebat, quæ propterea Romani Pontificis ſententia abſque Oecumenici Concilii congregatione finiri potuit, atque adeo debuit. Secus ſi res in magnam contentionem adducitur, magnæque turbæ excitantur, magnusque adeſt adſentatorum numerus, omnino ad plenarium Eccleſiæ judicium perferenda eſt.

Equidem exiſtimo (tametſi unam, & alteram cautionem a Defenſore propoſitam ingenioſius, quam verius, & contra expreſſam Auguſtini mentem, ne longius evadat diſputatio, permitto) Exiſtimo inquam, Gallicanum Defenſorem cum duo illa autumat de hæreſi Pelagiana, quæſtionis facilitatem, & fautorum paucitatem, omnino jocatum fuiſſe, ne dicam apertiſſime calumniatum. Etenim, ut ab ea quæ obtru-

obtruditur facilitas, exordiamur, quis pelagianum errorem expeditum judicet atque explicatum, quem Origenis περι ἀρχῶν perſpicue complectebatur, firmiterque fovebat? Hinc acerrimæ illæ, ac pene internicivæ concertationes Hieronymum inter atque Rufinum: hinc illæ item diſceptationes ejuſdem Sancti Hieronymi, ac S. Epiphanii cum Tohanne Hieroſolymorum Epiſcopo: hinc etiam graves illæ dimicationes Theophili Alexandrini cum Monachis Aegyptiis. Annon Origeniana hæreſis eo periculoſior habenda erat, quo major fuerat SS.[m] Baſilii, & Gregorii Nazianzeni de Origine exiſtimatio? Annon periculum toto Oriente augebat inſigne Euſebij Cæſarienſis ſtudium pro Origenis erroribus? Sed illud plane periculoſiſſimum, quod nonnullas, eaſque præcipuas Pelagianas blaſphemias Theodorus Mopſueſtæ Epiſcopus poſt Origenem quidem, ſed ante Pelagium apud Orientales evomerat, eo pernicioſius, quo infelicius tot tantorumque Sanctorum Patrum ſummis laudibus, vivens, ac mortuus cumulatus fuerat. Quin & ipſum Pelagium eius hæreſis veneno a Rufino quodam Syrio Romam adventante primo infectum fuiſſe, teſtatur Marius Mercator in præfatione ad librum ſubnotationum.

Verum hæc paullo fortaſſe altius repetita videantur. Propius itaque Pelagianam hæreſim inſpiciamus, quam niſi tantis altercationum nebulis involutam demonſtrabo, quantis involutam

K dixit

dixit Auguſtinus quæſtionem de rebaptiſmo, ultro me nugarum, & mendacii accuſabo. Hieronymus, atque Auguſtinus, duo illa clariſſima totius Eccleſiæ lumina, quantum laboris, atque operæ inſumpſerint in refutandis Pelagianorum figmentis neminem arbitror latere poſſe, qui unius, & alterius Doctoris, Opuſcula percurrerit: quibus Clariſſimum Oroſium adjungo, utrique amiciſſimum. Hieronymus quidem multa, & præclara adverſus Pelagium conſcripſit pro aſſerenda divinæ gratiæ neceſſitate; ſed Auguſtinus enimvero talia, ac tanta, ut Hieronymus ad eum mentem advertens lib 3. de pec. Orig. ita concluſerit: *In ſilvam ne ligna feras*.

Ac reapſe ſi quæſtio de Hæreticorum baptiſmo biennium ut maxime occupatum tenuit Cyprianum; hæreſis contra Pelagianorum Doctiſſimum Auguſtinum non minus, quam annos ſexdecim perpetuis, maximiſque diſceptationibus diſtraxit. Et ſane graviora ſunt quæ Auguſtinus pertractat, quam quæ Cyprianus, ſive Adverſariorum numerum ſpectes, ſive doctrinam, ſeu pertinaciam, ſive ingenii dexteritatem, ſive cor duplex Cæleſtii, ſeu os bilingue Pelagii, ſive tandem Pelagiani Syſtematis mobilitatem, atque vafritiam. Quocirca ſi Pelagianorum hæreſis non fuiſſet tantis altercationum nebulis involuta, næ ille perperam, atque improvide in re jocularia ſummam operam collocaſſet. Bone Deus! Qui tandem ſic ominantur? Gallicani Theologi ſcilicet, quibuſcum nondum convenit, num re vera Augusti-

guſtinus cum Pelagianis decertaverit de gratia actuali, an habituali; efficaci, an tantum excitante; qui neſcio quam Semipelagianiſmi larvam intra Eccleſiæ Catholicæ fines etiam num ſummo ſtudio inſectantur, quibus contra Doctiſſimi eorum, qui Semipelagianiſmi poſtulantur, purum putumque exprobrant Pelagianiſmum, neſcio an vicem rependendi libidine, nempe iis exprobrant, a quibus probabiliſmum e Pelagio ſumſiſſe arg uuntur, neſcio an vere. Illi inquam ſic ominantur; qui novos ſemper gliſcenteſque in Eccleſia Gallicana tumultus ſuper gratiæ neceſſitate, atque efficacitate, ſi ſapiunt eo dumtaxat referre debent, quod Auguſtinianas Hypotheſes in Pelagianæ hæreſeos refutatione minus introſpiciunt, quemadmodum in cauſſa Cypriani nihil quicquam introſpexerunt. Quod ſi Pelagianæ doctrinæ pernicies tam aperta erat, ut facile dignoſci poſſet, nulloque negocio vitari; læuus ergo Hieronymus, qui iterum ac tertium, ſummoque conatu pedem contulit cum Pelagianis. Lævus Auguſtinus, qui per ſexdecim plus minus annos nihil ſibi reliqui fecit, quo Pelagium, ac Pelagianos qua re cumque poſſet, convinceret, ac profligaret: lævi ex Gallis Heros, & Lazarus, qui primo apud Afros Pelagium nefarii erroris accuſarunt. Lævus ex Hiſpanis Oroſius. Lævi ex Italis Marius Mercator, atque Euſebius ille, qui adverſus Pelagium ad S. Cyrillum Alexandrinum conſcripſit. Lævus ex Græcis Johannes Talaja, qui apologeticum ſuum adverſus Pelagianos ob-

tulit Gelaſio R. P. Quin, & ipſe Gelaſius lævus, qui non ſolum epiſtolis ſuis, non modo Apoſtolatus auctoritate, verum etiam peculiari lucubratione pelagianam peſtem utraque ſuperi maris ora graſſantem detexit, ac diſſipavit. Lævi tandem ex Afris & LXX. Patres Concilii Carthaginienſis, & LXI. alterius Milevitani, qui omnes literis Synodicis ad Innocentium R. P. datis pelegianorum dogmatum proſcriptionem maximopere poſtularunt etiam poſt abſolutos in Dioſpolitana Synodo Pelagium, atque Cæleſtium. Næ tales tantique Viri πανικεῖς moti eſſent, ſi res cuique in promtu fuiſſet. Verum enimvero Pelagianorum cauſſa tantis erat altercationum nebulis involuta, ut Zoſimus ipſe ſummus Pontifex Cæleſtii calliditate, atque hypocriſi deceptus, utriuſque Africani Concilii Antiſtites vehementer increpuerit, quod Herotis, ac Lazari accuſationibus tam facile fidem adhibuerint;ſed tandem aliquando,Cæleſtii, Pelagive dolis compertis,Africanas Synodos confirmavit, & Pelagium ejuſque aſſeclas tractoria illa epiſtola toto orbe damnavit. Uno verbo, ni quæſtio a Pelagianis propoſita magnis fuiſſet altercationum nebulis involuta, nequicquam, quin & falſo Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 6. Pelagium *acutiſſimum* appellaſſet; uti & Cæleſtium lib. 2. cont. Pelag. cap. 3. hominem acerrimi ingenii, qui ſi corrigeretur, *plurimis profuiſſet*. At ſi Gallicano Defenſori auſcultes, iam cum illo propemodum credas, ſapientiſſimum Auguſtinum in pelagianæ hæreſeos refuta-

futatione nihilo plus ſe facturum exiſtimaſſe, quam ſi muſcas venaretur. Hæc de magnitudine quæſtionis, nunc quæ de fautorum numero.

Tametſi de pelagianæ hæreſeos propagatione nihil admodum compertum haberemus, tamen perfacile eſſet ex magnitudinæ quæſtionis fautorum numerum conjectare. Longum eſſet, fortaſſe etiam otioſum, quanquam ad hujuſce diſputationis caput omnino appoſitum, pelagianæ ſectæ primordia atque incrementa recenſere; quod neminem lateat eruditorum hominum, tam longe illam, lateque provectam fuiſſe, ut non modo Italos, ac Dalmatas, non modo Siculos, Rhodioſque, non Gallos tantum, atque Hiſpanos; non modo Palæſtinos, atque Orientales, non denique Afros tantum, ſed & ipſius Romanæ Eccleſiæ Clericos, Præsbyteroſque pervaſerit; uſqueadeo pietatis, veritatiſque ſpeciem præſeferebat: nam humanæ voluntatis arbitrium amplificare æque periculoſum eſt, atque imminuere. Porro illud pelagianum eſt, hoc janſenianum; illud arrogantiæ, hoc ignaviæ. Præſtet audire Auguſtinum epiſt. 157. ad Hilar. al. 68. de Pelagianorum numero ſic differentem. *Plures enim ſunt, quam ſperare poſſumus, & ubi non redarguuntur, etiam illos ad ſuam ſectam ſeducunt, & ſic crebreſcunt, ut neſciam quo ſint erupturi.* Et Epiſt. 177. nomine quinque Epiſcoporum inſcripta. *Non agitur de uno Pelagio, qui jam forte correctus eſt, quod utinam ita ſit, ſed tam multis, quibus loquuntur contendentibus, & infirmas, atque ine-*

ruditas animas velut vinctas trahentibus, firmas etiam, & in fide ſtabiles ipſa contentione fatigantibus, uſquequaque jam plena ſunt omnia. Et in reſponſo Innocentii Papæ ad Patres Concilii Milevitani. *Immo quod eſt dignius dolore communi jam plurimis Pelagius, Cæleſtiuſque perſuadent.* Hinc Epheſinum illud Cæleſtianorum Conciliabulum, cujus meminit S. Gregorius Magnus lib. 7. epiſt. 48. ad Anaſt. Antioch. Neque ego tam ſtupidus, & bardus, ut ſerio exiſtimem, Gallicanum Apologiſtam hæc ignorare potuiſſe; ille enim vero non ignoravit, ſed diſſimulavit, ut verius loquar, nec diſſimulavit, ſed fraudolenter permiſcuit. Namque illud Auguſtini effatum, quod hæreſi pelagiana vigente, nimiumque propagata pronunciatum eſt, defenſor Gallicanus poſtpoſuit, & ad reliquias Pelagianorum contorſit. Alterum vero, quod hæreſi pelagiana inclinante, & ad obitum vergente ab Auguſtino proditum fuit, antevertit, & ad hæreſim pelagianam jam adultam traduxit, ut alia duo inter ſe diſſita, ac ſeparata conjungeret, nimirum ceſſationem litis pelagianæ, & negationem provocationis ad plenarium Concilium. Quæ res proinde duæ, ac disjunctæ expendendæ ſunt in Auguſtiniano contextu. *Jam enim de hac cauſſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt, cauſſa finita eſt.* Agit hic Auguſtinus de duobus Conciliis Milevitano, & Africano II adverſus Pelagianos celebratis, altero ſub Innocentio, & ad Innocentium miſſo, altero ſub

Zo-

Zoſimo, & ad Zoſimum item miſſo. Horum alter nil cunctatus eſt quin Pelagium, atque Cæleſtium eccleſiaſtica communione privaret, eorumque errores Apoſtolica auctoritate configeret : alter Cæleſtii artibus, qui eum adivit, & Pelagii ſimulatione, qui fucatum fidei libellum ad eum miſerat, aliquandiu diſtractus, nonniſi poſt diligentiſſimam inquiſitionem, & poſt repetitas Afrorum Antiſtitum preces, utriuſque damnationem dudum a duabus Synodis Africanis flagitatam, & ab Innocentio Prædeceſſore ſuo ſancitam, ratam habuit. Quæ duo Concilia coacta fuiſſe in maximo diſputationis æſtu, ſatis, ſuperque oſtendunt literæ Synodicæ, & Innocentii reſponſum apud Auguſtinum Epiſt. 175. 176. 177. 178. 181. 182. 183. 190. Ex edit. Maur.

Denique expeditius, atque efficacius agetur ſi cauſſa Cyprianica cum Pelagiana conferatur. Profecto ſi abſolutum S. Auguſtini ſyſtema percurramus, perfacile intelligemus Cyprianicam Pelagianæ concedere & quæſtionis obſcuritate, & fautorum numero. Etenim controverſia de hæreticorum baptiſmo *magnis altercationum nebulis involuta* ab Auguſtino pronunciata eſt ex hypotheſi dumtaxat Donatiſtarum, qui Catholicis *objicere ſolebant Cypriani literas, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium*, de quibus tantum Auguſtinus vehementer dubitavit; ex conſequenti verbo obſcuram dixit, re negavit. Verum vix, aut ne vix quidem verbo obſcurum dixit, quæ ſi revera obſcura fuiſſet *quomodo potuit ad Concilii*

lii plenarii robur, *confirmationemque perduci*? atqui perducta fuit, non igitur obſcura, ſed *eliquata & declarata*. Addo & alteram ſumptionem: atqui ab Stephano *eliquata*; *& declarata*; ergo tempore Cyprianico nequaquam erat magnis altercationum nebulis involuta. Denique tota, eaque non magna hujuſce quæſtionis difficultas huc evadebat, ut quiſpiam Cypriano demonſtraret, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab eis, *qui foras exierunt*, *quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent*, *unde multa jam dixit* Auguſtinus. Multa quidem ſi Theſis facilitatem ſpectes, ſed multo pauciora ſi cum iis conferas, quæ adverſus ſchiſma Donatianum Auguſtinus diſputavit, pauciſſima vero, ſi conferas cum iis, quæ adverſus Pelagianam hæreſim literis conſignavit. Cyprianicæ deinde ſententiæ aſſertores non plures quam L in Oriente, & LXX in Africa ab Donatiſtis numerabantur, ab Donatiſtis inquam, non a Catholicis; quibus & Afrorum ſub Stephano diſceptatio, & Concilium Carthaginienſe, fortaſſe etiam Iconienſe,[etiamſi cum Maurinis eum locum lib.3. cont. Creſc. cap.3. explicemus, Tillemontio non probante], ex numero Donatianarum calumniarum viſa ſunt, Auguſtino præſertim, qui ibidem ita inquit. *Si omnino jam credendum ſit L. Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod LXX. Afris, vel aliquanto etiam pluribus contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto Orbe diſplicuit*. Duo hic habentur, & conceſſio de Epiſcopis male opinantibus, & ſubjectio

de

de Epiſcopis catholice ſentientibus. Per illam prior numerus refertur in fabulas, per hanc cum poſteriori collatus fertur in irriſionem. Numerus vero, qui alterius comparatione irridetur, magnus, an modicus cenſendus ſit, res ipſa declarat. Quinque autem illi Epiſcopi Pelagiani, qui Defenſoris judicio in angulo Orbis allatrabant, intelligendi occurrunt, [neque enim alios comperio], Julianus, Perſidius, Florus, Marcellinus, Orontius dudum a Cathedra deturbati, propterea ab Johanne Antiocheno ad ſuffragandum in Concilio Epheſino non admiſſi, quod vetitum eſſet a Cæleſtino R. P., quos meminit Synodica ad Cæleſtinum. Sed præterquam quod Auguſtinus ad Synodum Epheſinam Imperatoris literis invitatus quidem fuit, ſed morte præventus intereſſe nequivit, id etiam obſervandum, Auguſtinum minime ad Orientales, atque ad Occidentales Pelagianos ſermonem convertere potuiſſe, ſed ad Afros dumtaxat. Ex Occidentalibus vero præter Legatos Apoſtolicæ Sedis, quemadmodum & ex Afris unum Peſſulum Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconum, neminem video Epheſinæ Synodo interfuiſſe; iccirco perperam quinque tantum Epiſcopos pelagianis partibus ſtudentes numerat Defenſor Gallicanus; nam Auguſtinus tum, quum fruſtulum Maximianiſtarum Pelagianos appellat, de Afris tantummodo fuiſſe locutum res ipſa ſuadet; quod pelagianæ cauſſæ examen ab Afris primo Gallorum inſtigatione ſuſceptum ſit, duplicique Africano Concilio rejecta, & apud duos

item Romanos Pontifices hæreſis accuſata. Quod ſi implexa illa, & circumſpecta Hieronymi ad Auguſtinum allocutio Epiſt. apud Aug. 195. *Qui contra flantes ventos ardore fidei perſtitiſti, maluiſtique, quantum in te fuit, ſolus liberari de Sodomis, quam cum pereuntibus commorari; ſcit quid dicam prudentia tua.... Et quod ſignum majoris gloriæ eſt, te omnes hæretici deteſtantur, & me pari perſequuntur odio*, de Pelagianis potiſſimum explicetur, quam ſane explicationem ſuppeditat altera ejuſdem Hieronymi Epiſtola apud Auguſtinum 113. ad Alip. & Auguſt. *Quia cooperatoribus vobis hæreſis Cæleſtiana jugulata eſt; ut cum ſuperatos, damnatoſque ſe ſentiant, tamen venena mentium non omittunt; & quod ſolum poſſunt, nos oderint, per quos putant ſe libertatem docendæ hæreſeos perdidiſſe*; ſi de Pelagianis inquam explicetur, magno eſt argumento, plures in Africa fuiſſe pelagianis partibus addictos, quam hiſtoria tradit; & quam propalare præſtabat, & præcipua tum Auguſtini, atque Alipii, tum etiam Hieronymi opera *ſuperatos*, *damnatoſque* fuiſſe, quos inter complures *venena mentium non omittebant*.

Nunc alter peræque inſignis Auguſtini locus eſt conciliandus ex lib. 4. ad Bonifac. cap. 12. *An vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quaſi nulla hæreſis aliquando niſi Synodi congregatione damnata ſit? Cum potius rariſſimæ inveniuntur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multoque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic impro-*

bari damnarique meruerunt. Atque inde per ceteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Objurgat hic Auguſtinus Pelagianorum temeritatem, ac pertinaciam, quia duobus Romanis Pontificibus damnati auſi ſunt ad plenarium Concilium provocare, quam provocationem perbelle irridet Auguſtinus. Hæreſim vero pelagianam iccirco apertam perniciem ab Auguſtino vocitatam exiſtimat Gallicanus defenſor; quoniam ut idem ibidem inquit lib.3. cap.1. *Pelagianorum profanas novitates catholicæ aures, quæ ubi ſunt, horruerunt.* Auguſtinus quidem ſapienter, ut ſolet, profatur, ſed Gallicanus defenſor inepte ſatis interpretatur. Neque enim Synodi congregationem ea cauſſa ſupervacaneam duxit Auguſtinus, quod illam *catholicæ aures, quæ ubi ſunt horruerunt*; nam eo pacto defenſor vere apertam perniciem ſibi creat, nobiſque vel oſcitantibus victoriam parat; magis enim horrendæ, magiſque deteſtandæ catholicis auribus fuerunt hæreſes Arii, ac Macedonii, quam Pelagii, quibus tamen damnandis duo illa priora, atque Oecumenica Concilia Nicænum, & C. P.num I, ne ipſe quidem defenſor ſupervacanea fuiſſe teſtabitur. Aliam itaque explanationem, atque appoſitiorem deſiderat, que tametſi Gallicano Scriptori minus arridebit, nil quicquam refert; ſat illud, ſuperque ſit, ſi tu cenſor verax, & perſpicax, tuique ſimiles vero conſonam judicent, & Auguſtinianæ menti conformem.

Locus hic adverſus Pelagianos modo exſcriptus reſpondet alteri contra Donatiſtas ſuperius expla-

nato. Ibi ſi quidem Auguſtinus ſemel atque iterum non ſolum conjicit, verum etiam ſedulo affirmat, ratihabitionem *eliquatam* fuiſſe, ac *declaratam*, uno verbo *conſtitiſſe*, quæ verbo differunt, non re ab altera voce *aperta*. Nunc ſi quis roget, a quo *eliquata*, & *declarata*? facilis eſt, & promta reſponſio, nempe a Stephano R. P.; neque enim alius qui eliquarit, & declararit, quin nec alius qui eliquandi, & declarandi eo tempore proximam poteſtatem haberet, monſtrari poteſt. Quod ſi pernicies item pelagiana *aperta erat*, a quo tandem *aperta*? nempe a duobus Summis Pontificibus Innocentio, & Zoſimo; nam antea, quamquam duo Africana Concilia damnarant, quamquam Epiſcopi Sanctiſſimi, ac ſapientiſſimi verbo, & ſcripto confutarant; non continuo aperta pernicies, reputata eſt, niſi poſt duo accepta Sedis Apoſtolicæ reſcripta. Fruſtra ſiquidem Africani Patres, quos inter Auguſtinus connumeratur, iterum ac tertium Sedis Apoſtolicæ declarationem exquiſiiſſent, ſi ante Romanum judicium aperta fuiſſet. Audi jam Innocentium R. P. Carthaginienſis Concilii Patribus hæc inter cetera reponentem. *Ut quicquid quamvis in disjunctis, remotiſque Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, niſi ad hujus Sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate juſta quæ fuerit pronunciatio firmaretur*. Apud Aug. Epiſt. 181. al. 91. Illud etiam prædixerat: *Antiquæ Traditionis exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, noſtræ Religionis vigorem, non minus nunc*

in

in conſulendo, quam antea quum pronunciaretis, vera ratione firmaſtis, qui ad noſtrum referendum approbatis eſſe judicium, ſcientes quid Apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, DEBEATUR, a quo ipſe Epiſcopatus, & tota anctoritas ordinis hujus emerſit: quem ſequentes tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Et in altero reſponſo Epiſt. 182. ad PP.es Concilii Milevitani. *Diligenter ergo, & congrue Apoſtolici conſultis honoris arcana [honoris inquam illius, quem præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum], ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab Orbe mecum noſtis eſſe ſervatam. Verum hæc miſſa facio; neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam; qui id enim actione firmaſtis, niſi ſcientes quod per omnes Provincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent? PRÆSERTIM QUOTIES FIDEI RATIO VENTILATUR?* Quibus in locis, nonnullis prætermiſſis, quæ ultro ſe produnt, duo ad rem noſtram obſervare libet. Alterum, Africanos Patres auſos non fuiſſe peremptoriam de Pelagio, & Cæleſtio ſententiam ferre niſi Romani Pontificis auctoritate confirmatos, quam ob id enixe obteſtabantur. Alterum, cauſſam pelagianam fuiſſe de rebus *ANXIIS*, h.e. ſollicitis, ac difficilibus, etiam *firmas animas, & in fide ſtabiles ipſa contentione fatigantibus*. Hinc Zoſimi cunctatio, atque hæſitatio. Hinc Syxti Romani Præsbyteri dubitatio,

hinc etiam cujuſquam Romani Clerici in Pelagium, Cæleſtiumque proclivitas. Utrinque vero id plane conſequitur, pelagianam hæreſim continenter quidem *perniciem* fuiſſe, at non ſemper *apertam*. Auguſtinus porro, qui unus fuit e Patribus Milevitani Concilii *apertam perniciem* vocitavit. Ecquando, eccur *apertam* vocitavit? Tum apertam dixit, quum jam duo reſcripta ab Urbe in Africam advenerant. Ea autem de cauſſa apertam affirmavit, quod Pelagiani plenarium Concilium appellaſſent; perinde ac ſi illorum cauſſa idoneo plenoque judicio cognita non fuiſſet, *quamvis dederit illis Eccleſia Catholica judicium quale debuit, ubi cauſſa illorum finita eſt*, inquit Aug. lib. 3. cont. Julian. cap. 1. Non uti explicat defenſor *tantæ ſcilicet paucitati, & in aperta pernicie*; nam ante damnationem multo plures fuiſſe Pelagianos quam credi poſſent, ſatis oſtendi. Illorum autem hæreſim pro *APERTA pernicie* habitam fuiſſe ante Sedis Apoſtolicæ reſcripta, jam negavi, atque etiam nego.

Reliquum eſt, ne videar difficultatem ſubterfugere, ut ea perſequar quæ Auguſtinus ſubdidit poſt ea verba. An vero Congregatione Synodi opus erat, *ut aperta pernicies damnaretur*. Quæ ſequuntur hæc ſunt. *Quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit. Cum potius rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multoque ſint atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt*. Ad hæc

ita

„ ita Gallicanus Defenſor. „ Perpendant illud, „ *UBI EXTITERUNT*, *ILLIC &c.* atque illud *inde devitandæ* nulla gravioris a Romana „ Sede cenſuræ mentione; neque enim Eccleſiæ „ talem ſententiam expectarunt, ut Manichæos, „ Ophitas, Collyridianos, Tertullianiſtas, aliaſve, ſive manifeſte impias, ſive obſcuras, „ leveſque ſectas per loca excitatas, aut horrerent, aut contemnerent. Neque dignæ ſunt „ habitæ propter quas Romani ſe Pontifices commoverent. „ Atque utinam hæreſes ubi exoriuntur, ibi continuo ſuffocarentur. Sed quid, ſi ubi extiterunt illic improbari damnarique non poſſent? Cogendum, inquis, Concilium Provinciale. Quid ſi univerſa Provincia eadem ſanie infecta eſſet? Convocandum Concilium Nationale. Quid ſi Regnum univerſum errori jam graſſanti adhæreſceret? Tunc enimvero indicendum eſſet Oecumenicum. Quid ſi peſtis undique graſſaretur? quid ſi bella undique arderent? quid ſi perſecutiones recrudeſcerent? quid ſi univerſæ Regiones, quæ ſunt ad Occidentem ſolem perinde atque eæ, quæ ſunt ad Orientem in Barbarorum manus [quod Deus avertat] inciderent? qui Concilium plenarium convocetur? Num Eccleſiæ pax, & tranquillitas fortiſſimum illud conſtituunt & antiquiſſimum Eccleſiæ fundamentum? Num bella, num peſtis, num Tyranni, num Barbari ineluctabile Eccleſiæ judicium, & Chriſti Domini juſſa, & promiſſa irrita facerent? Minime gentium; tunc enimvero ad Petri Cathedram deferenda eſt

gra-

gravis quæſtio. Aiſne Sedis Apoſtolicæ judicium tum ſaltem irreformabile eſſe, ſummum, ſolique Deo ſubjectum? quippe ais, ſi univerſæ Eccleſiæ unanimis accedat conſenſio, ſin minus negas, aut dubitas quidem certe. Quid ſi univerſæ, quæ ſuperſunt in Orbe Terrarum Eccleſiæ in hæreſim labantur? At atribilem tibi commoveo: quid ſtomacharis? Cur mihi ſuccenſes? Quid commerui? aut in quo peccavi Gallicane Defenſor? Num animum tuum offendi quod videar opinatus eſſe reliquas omnes Eccleſias a fide uno eodemque tempore deficere poſſe? ſi negas, qui probabis? ſi affirmo, qui me convinces? Annon a fide defecerunt quatuor illæ Apoſtolicæ Eccleſiæ Antiochena Epheſina, Alexandrina, & Hieroſolymitana? Quid de ſeptem illis Aſiæ Eccleſiis, in ſeptem candelabris, quæ ſunt ante Altare Dei, deſignatis? annon omnes interierunt? Quid de Eccleſia Carthaginienſi poſt Romanam *eminentiſſimam*? quid de tot Africæ Eccleſiis prope infinitis? ecquæ una ex omnibus reliqua eſt? Quidni liceat pari pacto de ceteris non Apoſtolicis, non tam Deo caris, non eminentiſſimis pertimeſcere? præſertim cum Dominus Matth. 24. 21. prænunciaverit in noviſſimis diebus *tribulationem magnam, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet*. Quod ſi perſecutionibus gliſcentibus innumerabiles perierunt Eccleſiæ, cur omnium acerbiſſima ſæviente, quæ reliquæ ſunt, non intercidant, aut intercidere nequeant? Num dubitas tum catholicam dicere, quum

unum

unum eſſet Ovile, & unus Paſtor? Annon catholica fuit Hieroſolymitana, quum unica fuit? Annon itaque catholica foret Eccleſia Romana, quæ perpetuo perſtabit, ſi una omnium ſupereſſet? Anne intelligis perpetuitatem illam Eccleſiæ Romanæ a Chriſto Domino promiſſam non cuiquam alteri fundamento ſuperſtrui quam conſtantiæ in fide? Nam qui dixit: *Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua*, & idem dixit: *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Ibi certiſſimum Doctoris judicium pollicetur, hic inconcuſſam Cathedræ ſtabilitatem. Tum demum ſi hæreſis ſuboriatur, concedis ne Romani Ponticis *ασφαλειαν*? namque ita prorſus fingendum ut te reducam in viam;ſed Tu Defenſor tam ſagax, quam qui maxime, hanc, & hujuſcemodi ſuppoſitiones magno aſtu occupaſti; tertiæ ſiquidem parti Articuli IV. Declarationis Gallicanæ innixus, qua Romani Pontificis judicium tum demum *irreformabile* dicitur, quum *Eccleſiæ conſenſus accedit*, communem illam cautionem ſtatuiſti, ut ejuſcemodi *conſenſus* neceſſarius ſit, quicunque, & quocunque modo obtineri poteſt; adeo iſtuc tibi perſuaſiſti, ut ordinatæ huic, abſolutæque hypotheſi jam reponere videaris, tum itidem neceſſarium fore Romani Cleri, Romanæque Plebis conſenſum; neque enim video quod aliud pateat effugium; perſpicue enim Par. II. lib. 12. cap. 6. id tibi oſtendendum ſuſcipis ex iis verbis Concilii Apoſtolici Hieroſolymis habiti de Legalibus: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis* totam

vim *Spiritus* in ipſa conſenſione poſitam eſſe. Sine me e Bellarmini Siccitate[ut ais]& ad Scholæ formam nunc tibi reponere.In eo Concilio Apoſtolico Eccleſiæ conſenſus decens fuit, permitto: neceſſarius,enim vero nego.Et do vadem V.Synodum,cui Vigilius Papa quamquam CP.li degens intereſſe renuit,de quo propterea Juſtinianus Imperator ejuſdem Concilii Patres adhortans,iiſque [tuo præſertim judicio]auctoribus, & probantibus, ſic habet: *Inter nos placuit tam ipſum* Vigilium, *quam nos communiter convenire*, *& quod Sacerdotes decet communibus quæſtionibus finem communem imponere .... pro his ad memoriam ejus produximus magna illa Apoſtolorum exempla*, *& Patrum traditiones: Licet enim Sancti Spiritus gratia*, *& circa ſingulos Apoſtolos abundaret,ut non indigerent alieno conſilio ad ea,quæ agenda erant,non tamen aliter voluerunt,de eo, quod movebatur*, *ſi oporteret gentes circumcidi, definire,priuſquam communiter congregati divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque ſua dicta confirmaverunt. Unde communiter de eo ſententiam protulerunt;viſum eſt Spiritui Sancto,& nobis*.Omitte illud *decet*,quod interdum quid majus refert quam meram decentiam;perpende alterum, *ut non indigerent alieno conſilio*, videntur ne tibi Apoſtoli neceſſitatem habuiſſe Synodi convocandæ ad Diſciplinæ cauſſam definiendam?Quod ſi non habuerunt;ergo unuſquiſque Apoſtolorum per ſe ipſe eam cauſſam definire potuit nulla erroris formidine.Nunc quæro abs te:Cur Juſtinianus Patribus auctoribus & probantibus Apoſtolorum

exem-

exemplum, conciliumque uſurpavit? nonne & ad Vigilium alliciendum ut ei Synodo intereſſet, & ad carpendum quod non interfuerit? ergo cenſuit Imperator Patribus autoribus, & probantibus, Vigilium Petri Succeſſorem, non ſecus atque Apoſtolos ſolum per ſe eam controverſiam dirimere potuiſſe nulla errandi ſuſpicione; ſed ob prudentem dumtaxat oeconomiam *communiter ſententiam proferre* debuiſſe, quæ quidem circumſpectio in hac Synodo locum præcipuum obtinebat, quod ea quæſtio potiſſimum ageretur, quæ ad factum pertinebat, veriùs quam ad jus, de quo Vigilio cum Imperatore, & Patribus conveniebat, ut ex literis Juſtiniani ad Patres Concilii: quemadmodum & in Hieroſolymitano Apoſtolorum Concilio multa obſervanda occurrunt, quæ theſim illam a Defenſore ſuſceptam loco ſuperius adducto enervant, ſed accuratiorem longioremque inquiſitionem deſiderant, quam non eſt hic ſuſcipiendi locus.

Neque ego tam impudens, aut demens, ut non unam, quæ ſubeſſe poteſt, Synodi plenariæ convocandæ cauſſam inficiari auxim. Verum enimvero hanc plenarii Concilii cogendi neceſſitatem, præſertim poſt Romani Pontificis definitionem, a Gallicanis Theologis adeo hoc tempore jactatam, neceſſariam dico, non ſimpliciter, ut ajunt Scholaſtici, ſed ſecundum quid, non ob divinum mandatum, ſed ob civilia dumtaxat officia, uno verbo ob prudentem oeconomiam; nimirum, ut partium ſtudia ponantur, ut partes concilientur, ut quæ dubia ſunt, illuſtrentur, quæ perſpicua proponantur; ut aber-

rantes in viam redeant; pertinaces reſipiſcant;obſtinati damnentur; ut Paſtores qui hæretica ſcabie infecti ſunt,perſonam abjiciant,ac detegantur,ut frumentum a zizanio ſecernatur; ut eccleſiaſtica diſciplina [ſi ita facto opus ſit] reſtituatur,atque emendetur;ut abſentibus,indoctis præſertim,incautis,ac ſimplicibus quæcunque deinceps adimatur ſuſpicio; denique ut Catholicæ Eccleſiæ perduellibus, Summoque Pontifici infenſis nullus pateat purgationis obtentus. Uno verbo, ut ait Auguſtinus, *ad luculentam illuſtrationem, confirmationemque*. Quæ talia, ac tanta commoda dicito,per me licet, ſed neceſſaria nonniſi abuſive pronunciabis; eo fere pacto, quo multa vel inepta, & futilia ad jucunditatem excitandam neceſſaria dicimus. Quod non eo dixerim, quod futile, & ineptum plenarium Concilium exiſtimem; commodum enim, atque utile affirmo,ſed vere & proprie non neceſſarium. Quo ſenſu non ſemel Auguſtinus in hypotheſi,ac paullo indulgentius,quod omnino Donatiſtis connivere vellet, Concilii plenarii convocationem vendicat; ad quam abſolute, rectiſque oculis reſpiciens,appellationem a Papæ judicio ad Concilium maximum duxit hæreticæ impudentiæ argumentum; ita enim locum ad Bonif. lib.4. cap. 12. hactenus pertractatum concluſit. *Verum iſtorum ſuperbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente,pervertere nequeunt,ſaltem commovere conantur.*

Vi-

Vides jam Cenſor doctiſſime, defenſorem Declarationis Gallicanæ vere *tantis altercationum nebulis* perſpicuam veritatem obvolviſſe, & Auguſtini mentem audacter non minus quam acute contorſiſſe. Qui maximus, Sanctiſſimuſque Doctor, ſi in hac tanta rerum, temporumque perturbatione exiſteret, puto ſic ageret, & loqueretur.

Quid eſt Gallicani Paſtores, quibus Dominici Gregis portio florentiſſima commiſſa eſt, quod eam mihi adjudicatis ſententiam, quam hæreſis concepit, ſchiſma peperit, vindicta aluit, pertinacia eduxit? An quia dixi futurum fuiſſe, ut Cyprianus Concilio acquieſceret, qui Stephani decreto non acquievit, continuo edocui, poſſe quempiam citra contumaciam ab Epiſcopi Romani ſententia ad judicium plenarium provocare? Recurrite cuncta, quæ adverſus Donatiſtas opuſcula conſcripſi. Videte illic quot diſſimulavi, quæ reprehendenda fuerant: quot permiſi quæ deneganda; quid enim agendum ſuccurrebat cum hominibus Diabolo pertinacioribus, niſi eorum ſuppoſitionibus omnino ſubſervire? An Cyprianus rebaptizaverit, vehementer dubitavi, ſi rebaptizavit, multimodis purgavi. Plus mihi præbebant Cyprianicæ literæ emolumenti ad ſchiſma dirimendum, quam difficultatis ad hæreſim profligandam. Iccirco quæ hæreſi favebant, diſſimulavi: quæ ſchiſma impetebant, pertractavi, celebravi, amplificavi: Quod ſi ſecus res poſtulaſſet contra quam ſcripſi ſcripſiſſem. Fallaciſſimi enimvero erant, vaferrimi, mendaciſſimi, mobiliſſimi; qui propterea non ſemel me im-

pulerunt, ut ea fingerem, quæ non vellem, & ea permitterem quæ non poſſem. Quod ſi tot, tantaque jurgia, quæ periculum habent pernicioſæ diſſenſionis perſentiſcere potuiſſem, procul dubio aut conniventiam meam temperaſſem, aut omnino a connivendo abſtinuiſſem. Egone Fratres cariſſimi eam vobis provocationem concedam, quam Pelagianis pernegavi? Egone appellationem hanc ratam habeam, qui judicii plenarii neceſſitatem poſt ultimam Melchiadis ſententiam in cauſſa Cæciliani ſum inficiatus? Num magis Donatiſtis confidebam, quam Cypriano? An ſaluti Cypriani deſperabam, quam Donatiſtis promittebam? Deſperaſſem autem, ſi illam in plenario Concilio collocaſſem, quod Cypriani temporibus neutiquam cogi potuit. Quis me ſerio tum judicaſſe ominetur, quum medicinam imaginariam propoſui? quam etſi ſerio propoſuiſſem, non neceſſariam, non extremam, ſed commodam, ſed utilem ut maxime propoſuiſſem. Nam quo ego pacto neceſſariam ducerem Cypriano mitiſſimo, ac pacatiſſimo, quam ne ipſis quidem Donatiſtis obſtinatiſſimis, ac turbulentiſſimis neceſſariam duxi? Quod ſi mihi de Cypriano fingenti auſcultatis, jam me de vobis fingentem exaudite. Si quinque ex Gallia Antiſtites dogmaticum Apoſtolicæ Sedis decretum ab omnibus, & ſingulis Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopis receptum non recipiunt, annon juxta contumaces eſſent ac quinque illi Pelagianorum Epiſcopi, qui ejuſdem Romanæ Cathedræ reſcripta non receperunt? Utrobique de Gratia

Dei

Dei cauſſa eſt: Gratiam alteri eliminant, alteri commaculant; nec mihi deteſtabilior eſt qui donum Dei inficit, quam qui inficiatur. Si quinque illis Pelagianorum Epiſcopis, veſtro quidem judicio, Synodus plenaria concedi non debuit, num quinque veſtris me Judice concedatur? Si Eccleſia Catholica dedit Pelagianis judicium quale debuit, ubi illorum cauſſa finita eſt, quidni veſtrorum cauſſa finiatur, quibus item dedit judicium quale debuit? Cur ergo provocant ad Concilium plenarium, ubi non alii ſedebunt Judices, præterquam ii, a quibus jam damnati ſunt? Anne ſentitis, provocationem hanc Hæreticis magnopere arridere, Catholicis contra vehementer diſplicere? Anne videtis ſuſpectam habendam eſſe medelam, quam & amici refugiunt, & inimici propinant? Ne vocetis Aſſentatores eos, qui hanc provocationem rejiciunt, ne fiant deſertores qui recipiunt. Pertimeſcite, quod nemo unus illorum, qui eam adhibuit,ſanus factus eſt. Si Prædeceſſores veſtri hodiernas turbas, quibus Gallicana divexatur Eccleſia præſentire potuiſſent, nunquam declarationem illam ſuperiori ſæculo confeciſſent; ſed illi factum pro infecto habuerunt; nam quæ fiunt pertinaci opinione cogente, inficiuntur conſcientia reclamante. Si celeberrimus ille Meldenſis Antiſtes Eccleſiaſticæ unitatis, fideique Catholicæ Studioſiſſimus ominari potuiſſet, defenſionem illam ſuam, [ſi quidem ſua dicenda eſt], præcipuum Janſenianis erroribus præſidium fuiſſe aliquando allaturam,

næ talis tantuſque Vir tam pius, tam ſapiens ab ea ſcriptione abſtinuiſſet; ſed ille juſſus conſcripſit, injuſſus conticuit. Quid quod Rex ille fortiſſimus, atque piiſſimus Defenſionem Gallicanæ Declarationis conſcribi juſſit, nec poſtmodum ejuſdem exemplum aut exquiſivit, aut repetiit? Quidquod ab Epiſcopo Tracenſi ſibi oblatum accepit quidem, ſed quoad vixit, ſuppreſſit? niſi id eſt quod Regis fortiſſimi ſapientia, Religioque ſuadet: qui ſæculo ſuadente ſuam, ſuorumque exiſtimavit defendere auctoritatem, Chriſto intus admonente veritus eſt; ne Catholicam offenderet veritatem. Quid amplius ei Declarationi confiditis, quæ tot, tantaſque turbas toto Orbe excitavit? Cui Belgæ, Helvetici, Itali, Hiſpani, Germani, Pannonii, Gallique ipſi repugnarunt? Qui tandem ratam habetis, quam ipſimet Auctores literis ſuis ad Romanum Pontificem datis irritam fecerunt? Cenſetiſne talem ac tantam veritatis ſpeciem præferre Declarationem illam XXXIV. Epiſcoporum, qualem, ac quantam Concilium Africanum XC. pene Patrum, quibus BB.m Cyprianum præſediſſe creditis, præferebat? Fuerint ſane Epiſcopi illi duo Tornacenſis ac Meldenſis perinde docti, atque integri ut Cyprianus. Habeat, per me licet, Gallicana Declaratio ex canonibus, & Patribus tantum roboris, auctoritatiſque, quantum ex ſacris literis Africana ſententia viſa eſt habere; quid eſt quod alteram cum Petri Succeſſore improbatis, alteram contra Petri Succeſſorem acceptatis? An

vero

vero quia Synodus nunc cogi poteſt, quæ tum non potuit?non igitur quia Romanus Pontifex tum falli neſcius, nunc errori obnoxius; nam qui cum Petro judicat, pro Chriſto, & per Spiritum ejus, ſemper verus eſt; ſed quod ibi amor fidei vigeat, hic ſtudium partium. Quare ſi Petrus ſolus damnat; damnate, ſi damnat cum Eccleſia univerſa, etiam, atque etiam damnate. At cur ſi damnat cum pluribus,vos abſolvitis cum paucis? Porro quid eſt hoc niſi neque cum Petro, neque cum Eccleſia judicare, ſed ſapere apud ſemetipſos? quin & a Petro, & ab Eccleſia damnari? Nos miſeros, ſi jurgia,quæ pridem, ac dudum veſtri excitarunt, ad plenarium judicium deferrentur, quid aliud Eccleſiæ expectandum niſi ſchiſma & jactura? Eja Antiſtites Venerandi doctiſſimi ac Religioſiſſimi, ſi Eccleſiam Matrem diligitis, Chriſtianæ plebis Patri uſquequaque obtemperate. Non imminuatis Apoſtolicam auctoritatem, ne amplificetis hæreticam temeritatem; nam qui Petro eripit, nunquam Eccleſiæ donat, ſed Parentem exſpoliat, ut inimicos, ut transfugas, ut prædones, ut graſſatores locupletet. Quamobrem vos oro, atque obteſtor Fratres mihi in Domino dilectiſſimi per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, per Unigenitum Filium ejus, perque Sanctum utriuſque Spiritum, ut aureum illud, planeque divinum dictum BB.mi Martyris, & Coepiſcopi noſtri Cypriani ad Cornelium R. P. de Novatiano crebris, ac luctuoſiſſimis experimentis poſterioribus ſæculi comprobatum

batum

batum mente animoque complectamini. *Neque enim*[inquit] *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſchiſmata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitetur, cui ſi ſecundum Magiſteria divina obtemperaret Fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum Collegium quicquam moveret.*

Quis nam alter eſſet homo me audacior, aut confidentior, ſi unum poſt Auguſtinum verbum proloquerer? Itaque conticeſco. Sic interim de me cenſeo, ut tum denique ſtare videar quum punctum tulerim ſuffragii tui; illud etiam te rogo, ut ad Altare Domini nemineris mei. Opto te Vir doctiſſime ſemper bene valere.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dabam Venetiis ex Ædibus Magnæ Domus Ad diem XII. Nov. Anni CIƆIƆCCXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA